



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

36. H. 15.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K. K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

36. H. 15




36. Fe. 75.

ERICI MAURITII,
U. J. D. & PROF. PUBL.
ACAD. h. t. RECTORIS,

*DISSERTATIONUM DE PRIN-
CIPIS JURIS PUBLICI*

SPECIMEN,

Ubi de JURE NATURÆ quædam, ad men-
tem imprimis Orientalium Populorum, & Græciæ
Philosophorum disceptantur.



TUBINGÆ,

Impensis JOHANN-GEORGH COTTÆ,
Typis JOHANN-HENRICI REISII,
ANNO M DC LXV.



SERENISSIMO PRINCIPI,
AC DOMINO, DOMINO

EBERHAR-
DO III. DUCI
WIRTEMBERGIÆ, ET
TECCIÆ, COMITI MOM-
PELGARDIÆ, DYNASTÆ
HEIDENHEMII,

PIO, FELICI, INCLUTO,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Dost quinque jam annorum Tua, Se-
renissime Dux, in me beneficia, im-
pium erat ambigere, cui potissimum
Dissertationum Juris Publici, quod of-
fero, Specimen, sacrum nuncuparem. Tuis, PRIN-
CEPS Inclute, auspiciis, in Tua Academia na-
tum, Te Patronum jure optumo maxumo habere

):(2

de-

desiderat. Et mea interest, ut posteri sciant etiam, obsequii in TE, DOMINE, mei, & gratitudinis extare publicum documentum. Non sunt, fateor, nisi pauca pagina, nec absolvunt, quod ceperant negotium. Est tamen illis ab argumento, quo nullum temere plus utilitatis, sed & difficultatis habet, & à Tuæ Serenissimæ Celsitudinis Clementia & favore ingens fiducia, ut non vereantur ex Academia in aula lucem prodire. Accipe ergo, quo consuevisti esse in bonas literas, affectu, devotissima mentis exiguum quidem, sed certum pignus. Quæ restant, animo solvam & votis, addo & cultu, quibus solis rectè astimantur Principum beneficia. Deum veneror, ut servet Serenissimam Celsitudinem Tuam, Germani, imò & Christiani orbis, & Ecclesia bono, ac diu sospitet.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Scrib. ex Academia Tubingen-
genfi 8. Id. Aprilis Anno M.
DC. LXV.

*Humillimus ac devotissimus
Cultor*

ERICUS MAURITIUS, D. Prof. Publ.
& Acad. h. t. Rector.



L E C T O R I A L.



Ompellendus mihi in principio es, Amice Lector, & de ratione instituti monendus, cur partem potius Dissertationum Juris Publici modo, quam integras eas deinceps edere voluerim: cur deniq; de JURE NATURÆ, quam de cæteris Juris Publici Principiis, etiam illis, quæ propius pertinere ad Jus Publicum Germaniæ videntur, prolixius differere animum induxerim. Utrumque paucis exequar. Cum primum ex Heidelbergensi Academia evocato, suffragio Procerum Academicorū, & Serenissimi Principis voluntate, demandata mihi esset in Academia hac Juris profitendi provincia, publicam studiorum meorum illam rationē esse, ut Feuda interpretarer, privatam operam circa Publici Juris doctrinam versari voluerunt. Videbam tum, multa desiderari in autoribus Juris Publici, non pauca manifesto errore studiosæ Juventuti obtrudi, ac ferè deesse, quem ut legerent,


•):(3 requi-

requirentibus sæpè, auctor esse possem. Cui rei non aliam commodiorem Medicinam fieri posse existimavi, quam si ab ipsis principiis, doctrinæ hujus fundamenta repeterem. Id dum ago, & primùm, communissimumq; omnis Jurispublici principiū, NATURÆ Jus, breviter attingo, ac inter cætera, diversas recentiorum nonnullorū, de ejus indagandi ratione sententias, commemoro, non defuerunt lectissima Ingenia, quæ plusculum operæ me collocare vellent, in repetenda exactiori curâ Juris hujus Natura. Feci quod illis placuit. Sed negotiis mox pluribus, Academiae etiam muneribus, ad publicas & privatas lectiones accedentibus, tantisper interpellatus labor, donec ante menses aliquot, flagitantibus sedulò Auditoribus, & urgentibus negotium Viris nonnullis Celeberrimi nominis, inter illos non semel, Illustrissimo Barone Boineburgio, Germaniæ Peirescio, (qui, quod eruditus orbis novit & stupet, literarum omnium exactiorem peritiam & amorem, cum prudentiæ & stemmatis gloria ita miscet, ut quâ parte major sit vix dignoscere integrum sit,) iterum manum operi admovi, ac præter-

ea quæ nunc typis descripta vides, quædam de jure Naturæ ad Latinorum, Patrum, Scholasticorum, & Moralistarū ut vocant, mentē, ex recentioribus quoq; autorum aliorum monumentis, adjeci. In publicum tamen prodire ista adhuc nolui, quod expectent curā attentioem, quā quæ illis inter officii, quod sustineo modo, occupationes varias, accedere potuerit. De reliquis Juris Publici principiis, JURE GENTIUM, RECESSIBUS IMPERII, BULLA AUREA, CAPITULATIONIBUS, PACE RELIGIOSA, ET PROFANA, INSTRUMENTO PACIS CÆSAREO SUEVICICO ET GALLICO, ORDINATIONE CAMERALI, JUDICII AULICI, ET POLITICA, CONSUETUDINIBUS IMPERII, SENTENTIIS CAMERALIBUS, SCRIPTORUM POLEMICORUM, JUSTINIANEI JURIS, ET HISTORIÆ GERMANICÆ, AUTORITATE, tum de LIBRIS JURIS PUBLICI, qui nobis hætenus innotuerunt, agam deinceps; non tamen eo, quo de jure Naturæ apparatus. Possunt enim illa & facilius multo, & brevius expediri. Destinaveram verò ista, bis Heidelbergæ, bis in hac Academia studiosæ juventuti jam exposita, simul edere, atque hæc operis initia, ideo intra Academiam nostram se tantisper continere, dum reliqua accederent, jussi. Cæterum, cum Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac Dominus, DN. CHRI-

STIA-

STIANUS ALBERTUS, Episcopus Lubecensis, Haeres Norvegiæ, Dux Slevicensis, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsicæ, Comes in Oldenburgh & Delmenhorst, Clementissimis literis me jura in Academia Patria docere vellet, facile vidi non absolvi posse in Academia hac, quæ de juris Publici Principiis Commentari cœperam. Quare quamvis partem saltem, urgentibus præter bibliopolam, illis, qui aliquid inde etiam commodi ad juris Publici Studiosos redundare posse existimabant, in publicum exire passus sum. Faxo autem, si vitam & otium concellerit Deus, ne diu exspectes, Amice Lector, è novis Holsatorum Athenis Diatribam de jure Naturæ. Nunc nihil dubito, fore, ut excusatum habeas, quod impedire mei arbitrii non fuit. De cætero more in Academiis recepto, Dissertationes hæc propugnaverunt juvenes Præclarissimi, *Johannes Bernhardus Weininger* / *Durlaco Marchicus*, & *Johannes Petrus Spring* / *Kircho Teccius*. Non ultra abutar patientia tua, Erudite Lector, nec addo igitur, nisi duo verba, Vale &
Fave.



DE PRINCIPIIS JURIS PVBLICI,
GERMANICI IMPRIMIS

CAP. I.

1. **J**uris vox varie sumitur. 2. ejus explicatio necessaria. 3. quod agnoscunt Jurisconsulti, Scholastici, Theologia Moralis Scriptores, Molina, Lessius, ac alii. Seldenus, Hobbes, Gassendus, 4. significationes septem varia, 5. Grotius vindicatur à Feldem nota, 6. Fibigijs & Scokijs plures significationes tradunt, 7. qua expenduntur & rejiciuntur, 8. bonum, jus dicitur in relatione ad legem, si ve id sit natura si ve ex positione tale. 9. id quod lege praescriptum est, idem est cum lege. 10. Sententia quo respectu jus dicatur. 11. Sanctio quando jus dicitur, nihil diversum est à lege. 12. Potestas quando jus vocatur, idem est cum Facultate. 13. Meritum quoque & debitum ad Facultatem referenda. 14. Jus pro juris universi compage sumptum, vel jurisprudentiam notat vel leges Reipublica, 15. Hugo Grotius saltem tres tradit diversas acceptiones vocabuli hujus. 16. eas unde desumpsit 17. Antonius d' Escobar, itidem ternario contentus ex mente Moralistarum. 18. Dominici Soto nonnulla improbantur. 19. Publicum varie aliquid dicitur ac recensentur diverse acceptiones. 20. Difficultas definiendi jus publicum. 21. Paurmeisterus & Lampadius non definiunt. 22. Arumaus & alii Definitionem in principio non exhibent, & de illis Limnaii judicium 23. Ulpiani, verba in §. ult. Instit. de Justitia & Jure nec definitionem nec descriptionem accuratam juris publici continent. 24. id ostenditur, 25. nec ex Ciceronis verbis lib. 1. de Oratore effici potest plena descriptio.

A

Juris

1 **J**uris nomen non uno sensu latinis Scriptoribus usurpatur, illis in-
 2 primis qui legibus impendunt operam. Tantum autem momenti
 esse in recta vocis hujus explicatione aliqui contendunt, ut in jure
 universo cæcutire eum statuant, qui hæc neglexerit, Dn. Hahn. *ad*
 3 *Wesenbec. libr. 1. tit. 1. n. 14.* Quæ causa est, quod non Jcti solum
 ad tit. de Justitia & Jure, sed Scholastici etiam ad *secundam secundæ*
quest. 57. D. Thoma. quiq; illos sequuntur recentiores Theologiæ
 Moralis scriptores, varios vocis hujus sensus sibi judicant colligen-
 dos. vid. Molina. *de justit. & jur. tract. 1. disput. 2. §. 1.* Lessius *de*
just. & jure. lib. 2. cap. 2. disput. 2. Fecit idem eruditissimus Seldenus
in opere de jure natur. & gent. pag. 45. Hobbes *tract. le Corps Poli-*
tique part 2. cap. 8. nu. 5. & in Elementis Philosophicis de Civ. cap.
14. num. 3. Gassendus *phil. morali pag 1551.* Nos quoque de publi-
 ci juris Principiis acturos, propositi urget ratio, ne sicco hæc pede
 prætereamus.

II. Videtur autem huc redire summa rei, jus aliquando idem esse
 4 quod Facultas quam habet quis in relatione ad certam personam
 vel rem: unde est, quod alieno ~~juri~~ *quo subjectus dicitur, princip.*
instit. de his, qui sunt sui vel alieni juris. Et habere vel non habe-
 re jus testandi. *princ. instit. quibus non est permittum facere testamen-*
tum. Interdum autem significare cognationem, affinitatem, aut ne-
 cessitudinem, quomodo juris voce utitur Marcianus *in l. 12. ff. de*
justit. & jur. Est quoque ubi judicii locum denotet, quod observa-
 vit Paulus *l. 11. ff. dict. loc.* Sæpe etiam jus jurisprudentiæ nomen est,
 quo sensu accipit ipse Ulpianus *l. 1. in princ. ff. de justit. & jur.* Sed
 & status & conditio personæ aliquando juris nomine veniunt. Con-
 fer inscriptionem *tit. de jur. personarum,* cum altera. *ff. de statu ho-*
minum, ubi quod in Institutionibus jus personarum dicitur, id Di-
 gestis est status vel conditio earum. Titulum quoque, quo quid ac-
 quisitum, vel legitimam possidendi causam, jus vocant Jcti. vid. *l.*
10. si servitus vindicetur. l. ultim. de aqu. & aqu. plu. arcenda. At
 plerumque, & quantum videtur maximè proprio vocabuli sensu,
 jus cum lege idem est, quoties largissimè sumitur, & consuetudi-
 nem lege non improbatam ambitu etiam suo complectitur. *l. 3. 4.*
5. & 8. coll. cum l. 6. & 32. ff. de legibus Senatûs Consultis 5. & longa
consue-

consuetudine. Nec raro id etiam jus vocatur, quod legibus nullis vetitum, adeoque injustum non est, vel (quod cum priori idem esse Grotius existimat) naturæ societatis ratione utentium non repugnat, quomodo voce hac Florentinus Ictus, Cicero, Seneca, ac Chrystostomus utuntur, adductis à Grotio locis, de jure belli ac pacis. *lib. 1. cap. 1. num. 3. & in notis*. Quam significationem tamen magis negantem quam agentem vim continere, ibidem recte observat vir incomparabilis. Vellicat quidem hæc Hugonis Grotii Feldenus in *Annotatis*, ac imitari eum ait ineptias Scholasticorum, qui distinctiunculis suis res ipsas confundentes, vocum proprietates tollunt; sed immeritò vellicat. Non enim adeo obscurum erat Grotio ingenium, ut distinctiunculis ineptis, quæ solius plerunq; ignorantie infelicia arma sunt, involvere lectorem vellet, cui lumen accendere promiserat, sed verum vocis & receptum vulgo ac doctis usum, qui varius erat, distinguit. Tantum autem abest incognitam esse hanc vocabuli juris usurpationem, ut maxime propria definitione, jus nihil aliud esse, quam libertatem naturalem, à legibus non constitutam, sed relictam, existimaverit Hobbeus in *Elem. Philosoph. de cive, cap. 14. num. 3*. Aliter respondet Graswinckelius, sed ita, ut non satis videatur tueri Grotium.

III. Præter eas, quas enumeravimus modo, plures habent, è recentioribus, Fibigius, qui novem diversas vocabuli hujus significationes memorat in *Electis juris publici, semidec. 1. quest. 1. n. 2. ad 17. nq.* Dn. Hahnus in *observatis ad Wesemb. Paratitl. ad tit. de justit. & jur. num. 14*. ubi decem recenset, & qui reliquos superat Martinus Scokius de *jure naturali, thes. 1. nu. 3*. Et sane probant rem, adductis vel juris interpretum vel aliorum autorum locis. Arbitramur tamen ea huc commode redigi posse, quod vel idem cum dictis, significant, ac vocabulis saltem non re ipsa differant, vel juris nomen non eo quo ipsi arbitrantur respectu, sed alio eoque tali, quem thesis secunda jam complectitur, iis tribuatur. Nam quod existimant Dn. Hahnus & Scokius jus sumi materialiter pro æquitate, æquali, seu æquo & bono, quod justitia in rebus constituit. arg. l. 32. ff. de rebus creditis. l. 15. ff. de edilicio edicto. l. 31. ff. de depositi, quod Aristoteles 5. *Ethicorum* δικαιοσ vocet, opponatque

iniquo quod injuriam involvit; Verum quidem est, esse bonum quoddam etiam in operationibus humanis nonnullis, quæ ideo præcipiuntur jure naturæ, quia bonæ sunt, non autem bonitatem suam primum ex legis præcepto accipiunt, quod & cognovisse videtur Aristoteles lib. 5. *Ethicorum. cap. 10.* confer Molinam *de just. & jur. tom. 1. disput. 3. num. 2.* Franzkium *Comment. ad Pandect. ad tit. de justit. & jure. num. 116. & seqq.* sed id bonum & honestum etiam, jus vocari, quatenus bonum, citra respectum ad legem saltem naturalem, id non probarunt hæctenus, qui ita accipi existimarunt. In adductis legibus, id bonum vocatur quidem æquum, sed æquitatem etiam respicere legis virtutem ostendit *l. 31. ff. de posit. & prædicari de bono hoc, quatenus lege naturali &c. aliquid de eo definitum est, ibi, eam utrum asserimus ad meritum jus gentium, & deinceps, si tantum jus naturale & gentium intuemur, & paulo post, si jus & legum ordinem.* Cum ergo jus appelletur, quatenus est id quod lex naturæ præcipit, atque adeo lex naturæ; vel saltem libertas illa per legem naturæ relicta, consequens est, immerito hanc significationem addi, quæ à reliquis nihil discrepat. Nec alia differentia est, quando bonum illud legitimum quod lege præcipitur demum, & ex præcepto legis tale esse incipit, jus dici ajunt; Hoc enim vel omnino non, sed lex solum cum bono hoc conjuncta, vel ei ita arcte innexa, ut propter hanc conjunctionem, rem non satis exacte æstimantibus, idem esse videantur, id nominis fert; vel vocatur ita, quia materiæ respectu, qua conveniunt bonum hoc & lex, cum lege idem, ac adeo ajente sensu, ut vocant, jus est, vel quia lege non vetitum, & ita negante sensu, jus est. Quæ omnes significationes thesi secunda jam continentur, ut ne sic quidem alia significatione opus sit.

IV. Sed & illa significatio, qua jus vocant illud, quod lege præscriptum, cum ea quæ legem denotat, coincidit. Lex enim est mandatum, est jussum superioris, quod adeo verum, ut multis placuerit definire legem, mandatum vel jussum. Mandatum ergo & jussum legis, si bene considerentur, cum ipsa lege idem sunt, ac verbis discrepant quidem, reipsa, quæ natura synonymorum est, non discrepant. Nec aliter, quando Jus dicitur sententia judicis, vel jus applicatum aut redditur. Falluntur enim qui sententiam ipsam simpliciter

ter

ter jus dici putant, cum lex, quam sequitur sententia, jus sic dicatur solum; Quod confundunt qui sine illo respectu jus sententiam interpretantur. Ipse Paulus in l. 11. ff. de justitia & jure, iisdem verbis unde hanc sententiam deducunt Auctores Prætor, ait, *jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit, relatione scilicet facta, non ad id quod ita Prætor fecit* (promulgavit autem sententiam iniquam, ad quam respectus nullus est.) *sed ad illud, quod Prætorum facere convenit* Ideo ergo vocatur sententia iusta, quia fas est justam esse, hoc est, cum legibus convenire. Convenit autem cum legibus quæ idem jubet quod lex, adeoq; cum lege, vel parte ejus idem est; ut hoc sensu iterum juris acceptio, ab ea, qua pro lege sumitur, vix differt. Sed & qui sententiam iniquam hujusmodi jus appellaverit, is, ni sibi ipsi contradicere velit, hoc solum vult, esse legem quæ caveat, vel ratum esse velit, ut sententiæ latæ pro legitimis vel convenientibus cum lege habeantur, atque adeo hæc acceptio juris, idem est cum illa quæ legem significat.

V. Id quoque, quando pro actu, hoc est, jussu & sanctione quæ justum illud præcipit, accipi videtur inter alios Dn. Hahnio d. n. 14. accept. 4. non diversum quid efficit, vel enim intelligunt ipsum promulgandi actum, atque hunc jus dici non probant, nec de eo commode intelligi posse ostendunt, quæ subjungunt exempla, ubi hoc sensu volunt jus aliud esse naturale, gentium, & civile; vel illud quod ex sanctione & promulgandi actu oritur. Atqui tum habemus illud quod à lege nihil differt. Illæ duæ autem acceptiones, quibus etiam aliquando cum potestate, sæpe cum potestate publica esse dicitur Scokio, non valde nobis se probant: præterquam enim quæ prima acceptio alteram includit (est nempe potestatis nomen generale, quod tam de publica quam privata dicitur) jam tum ea continetur facultatis nomine, quo & illa significatio, qua tribui dicitur juris nomen rebus incorporalibus, pertinet; hæc enim quæcunque jura dicuntur, non alio sensu accipitur juris nomen, quam quo facultatem exprimit, eo modo quo in initio thesisi secundæ illam descripsimus. Meritum quoque & debitum cum jure idem esse Fibi-
gius vult ex l. 10. in princ. D. & primo. Instit. de justit. & jur. non video autem quid hoc aliud sit quam facultas, eodem illo sensu, quo

ipse etiam descripsit, quam quis habet relatione ad certam personam vel rem. Scokius etiam hoc nomine venire vult juris universi compagem, qua civitas utitur; sed & in hac acceptione nihil ego invenio, quod vel à jurisprudentia vel à legibus & consuetudinibus civitatis diversum sit, ut nec hoc quidem additamento opus fuerit.

14 VI. Apud Hugonem Grotium de jure Belli & Pacis *lib. 1. cap. 1. n. 3. 4. & 9.* non extat nisi triplex vocabuli juris usurpatio. Meminit enim duntaxat illius, quam primo, & duarum, quas ultimo loco thesis secundæ recitavimus; aliarum non meminit, qua in parte pressisse illum vestigia Scholasticorum, ac qui hos sequuntur Casistarum, & 15 16 Moralis Theologiæ Scriptorum, dubio vacat. Ad eorum mentem Antonius d' Escobar, qui libro Theologiæ Moralis viginti quatuor societatis Jesu Doctorum doctrinam se complecti profitetur: Tractat. tertio Examine 1. cap. 1. §. 1. *Jus*, ait, *accipitur tribus modis. 1. pro justo & equo. 2. pro lege. 3. pro facultate ad aliquid, quo pacto quis dicitur uti jure suo, quæ eadem ferè sunt cum illis Grotii. Confer & Molinam de justit. & jure, tom. 1. tractat. 1. disput. 2. num. 4. cum Grotio thes. 4. cap. 1. & pleraque disputationis illius cum thes. 3. 4. & 9. dicti capituli.* sed ostendimus plura significare juris vocabulum, vel solis illis, quæ in Romanæ jurisprudentiæ libris extant exemplis, quæ quare omittenda putaverit vir summus, illa causa esse potuit, quod earum vel non multa sint apud alios Autores exempla, nam statum aut necessitudinem jus dici non ita frequens aliis quam juris scriptoribus, vel si quæ est diversa significatio, ea sensui orationis nihil officiat; Quamvis enim locus judicii aliquando jus dicatur, ea tamen ambiguitas cum statim pateat, neminem facile decipiet. Quin imo locum judicii non satis aptè jus dici, 18 disputat è scholasticis Dominicus Soto *lib. 3. d. justit. quest. 1. art. 1. in fin* quod tamen non Jctis solum placuit, sed & Divo Thomæ, & Terentio quoque in *Phorm. scen. 8. act. 5.* Non negligenda tamen fuisset illa, qua jus pro jurisprudentia sumitur. Sanè & frequens est, & usu recepta melloris notæ scriptoribus, quicquid contra disserat Dominicus Soto, & Celso, & Ulpiano Jctis, & Moraliū Scriptoribus agnita, non enim omnes ternario illo contenti sunt, plures agnoscit Molina *d. l. & Cardinalis Lugo de justit. & jure. disputat. 1. sect. 1. n. 2.* ac etiam alii nonnulli.

VII. Et

VII. Et hæc de juris vocabulo hætenus. Publicum quoq; non una ratione aliquid dicitur. Sæpe enim à constituyente id nominis, rei constitutæ adhæret, quod id vel publicâ omnium, vel eorum saltem, qui rei summæ præsumunt, auctoritate natum sit, quomodo jus omne, etiam quod privatum nuncupamus alioquin, publicum dici potest. Sanè ita accepit Papinianus, cui testamenti factio hac acceptione videtur dici publici juris. *l. 3. ff. qui testamenta facere possunt*, ac idem Autor in *l. 15. §. 1. ff. ad legem falcidiam. & l. 29. ff. de testament. tutela.* ac qui Papinianum præceptorem habuit, Ulpianus in *l. 8. ff. de tutelis.* Impropriam tamen esse hanc significationem non immeritò notat Fibigius in *Electis juris publici, semidec. 1. num. 19.* & à causa efficiente desumptam, Dn. Hahn. ad Wesenbec. *tit. de justit. & jur. pag. 30.* Franzkius *Comment. ad Pandectas ad eundem tit. num. 91.* Aliquando id publicum est, quod vel ipsum vel ejus usus jure gentium ad omnes, vel alio jure, ad populum singularem vel universitatem demum pertinet, ea enim omnia publica dicuntur: Confer *§. 2. 4. & 5. instit. de rerum division. cum l. 14. & 65. ff. de acquirendo rerum dominio. §. 2. in princ. instit. de inutilib. stipulation. l. 15. 16. 17. ff. de V. S.* Ac ita rebus applicatur notio hæc, non solum iis quæ ex commodo sunt Reipublicæ, sed etiam si ejusdem damnum contineant, quomodo non infrequens est dicere, damnum & scelus publicum, ut sic objectum quandoq; solum, non etiam finem respiciat. Interdum cum objecto finem conjungit, ut quando jus dicitur publicum. *§. fin. instit. hoc tit. & alibi passim publicum immunus*, quod ad utilitatem populi & circa res ac negotia ejus geritur. Qui finis, cum sæpe proximus sit, adeoque in intentione jus ferentis, primarius, ac immediate cum objecto cohærens, sæpe remotior, & ut ita dicam, secundarius, dum ad privatam civium utilitatem propius respicit Legislator, & mediatur solum, interveniente adhuc alio scopo, publicas res promotas vult, utramque hoc jus publicum dicitur quidem, sed illud eminentiori quodam modo, & suo quasi jure.

VIII. In promptu hinc est æstimare, circa juris publici notionem ex æquivocis hisce vocibus compositam, facile fuisse offendere Scriptoribus etiam cætera eruditis; sed & alii omnino ejus definitione sibi

- ne sibi abstinendum rati sunt, quorum non neminem eo nomine perstringit Limnæus de jure publico. *vol. 1. lib. 1. cap. 1. num. 3.* In hoc, ait, vel maxime lapsus est, quod nova methodò jus publicum Comitibus sapientum exhibuit plane acephalum, hoc est, omissa definitione, qua cujusque rei potissima pars, per quam cognoscitur ut per caput homo. Sane apud Paurmeisterum de jurisdictione imperii Romani, Jacobum Lampadium quoque tractatu de Republica Romano Germanica, Viros & judicii insignis, & prudentiæ laude ac juris publici eximia peritiâ claros, nihil tale reperias, quod mireris merito ab iis intermissum, illis libris quibus quasi per Epitomen doctrinam publici juris Germanici exhibent. Alii illam in extrema rejiciunt, quod placuit Arumæo, apud quem, si tamen extat juris publici definitio, nulla prior est eâ, quæ nonnullis creditur pro tali habita fuisse ab Ulpiano, quam exhibet Pâpenheimius *vol. 1. discursu 33. cap. 2. th. 1.* quod ipsum non displicuit etiam Dn. Reinkingio, qui juris publici definitionem altera illa Arumæi meliorem, & quam ipse probat, exhibet demum *lib. 2. class. 2. cap. 6. n. 1. & seqq.*

- 23 IX. Præter rem fuerit examinandis omnium definitionibus immorari, de Ulpiani verbis tamen in §. ult. *instit. de justit. & jure.* quia nonnulli pro definitione jurispublici ea habent, & quidem aliqui etiam pro accurata, paucis differere operæ fuerit pretium. Probant illam ac retinent antiqui interpretes plerique ad §. hunc, & recentiorum multi. Quod faciunt etiam è publici juris scriptoribus, Justus Sinoldt. cognomento Schutz. *vol. 1. disp. de jure public. th. 3.* Arumæus adducto antea loco, Limnæus *libr. 1. cap. 1. num. 7.* quæ utut aliquam descriptionis Romani juris publici speciem referat, non esse tamen eam, vel definitionem, vel descriptionem, paulo accuratorem, satis apertum viderur. Verba hæc sunt: Jus publicum est, quod ad statum rei Romanæ spectat. *Juris* vero nomen quod omittitur, ac loco generis repetendum est, ambiguum esse, antea declaravimus, nec additur tamen, quo sensu hic capiatur. *Status* quoque non uno modo sumitur, unde merito Hippolithus à lapide dissertatione de ratione status in princip. multos quid sit status, planissime ignorare scribit, ac plura significare statum in solis libris juris Romani, ostendit Limnæus *juris publici tom. 1. libr. 1. cap. 10. n. 1.*

n. 1. Et ex Mercerio tom. 4. juris publici in addit. ad caput. 10. num. 1. & seqq. & in dissert. Apologetica de statu imperii. sect. 1. num. 2. ac seqq. Sed & quæ sequuntur verba, *Rei Romana*, ita controversa sunt, ut putari Ravardus errore descriptoris corruptum locum. Plerique de republica Romana interpretantur, quos sequitur Fibi- gius in Elcct. quæst. 2. n. 8. iis tamen, qui ita sentiunt, dicam scribit Justus Simold. Sciz: Giessensis olim Academiæ Cancellarius, Colle- gii publici de statu *Rei Romana* vol. 1. disp. 1. thes. 3. lit. b. qui idem Imperatorem *Rei Romana* mentionem facere existimat, non *Rei*- *publicæ*, quod Romanum Imperium defuisset esse Respublica quo tempore præerant imperatores, *ὡς περ δὲ ἐν ταῖς ἀποδείξει, δὲ τὸ γὰρ τοιοῦτος εἶναι ἢ ἐν τοῖς ἔργοις τὸ σαφές, sicut autem in demonstrationibus conficiendis necesse est, ut insit in demonstratione necessaria concludendi ratio, ita in definitionibus inprimis videndum ut aperte & perspicue res doceatur, quæ Aristotelis verba sunt. Analyt. posteriorum lib. 2. cap. 15. in princip.* ut ipsum latinè loquentem dedit Nicolaus Gruchus, & cum aliorum Philosophorum traditis consentiant. Demum, nimis arctè & ad solos Romanos, jus publi- cum illa descriptio restringit, cum tamen certum sit, nullam esse Rempublicam, quæ non publico suo jure gubernetur. *Ἐὰ δὲ ἐστὶν οὗτος ἄνθρωπος κἀκεῖνος, ἢ γὰρ τινὶ ἐφ' ὧν λέγει τὸ ὑγιῖναι ὁ ἰατρός, ἀλλ' ἢ πάν- *τι, ἢ εἰς ἀφοσίους. semper autem res universa est quæ definitione ex- *plicatur, neque enim Medicus cum definit quod nam sit salutare ocu- *lis medicamentum, definitionem ad hunc vel illum oculum tantum ad- *commodat, sed aut in genus universum oculorum, aut in aliquam sa- *nè speciem, vult transferri, ut iterum loquitur Princeps Philosopho- *rum Post: Analyt. cap. 14. in fin.* Unde definitionem perfectam his verbis non contineri agnoscit ipse Dn. Schutzius Junior, felicioris ingenii Vir, ac hodie Contiliaris & Assessor judicii Aulici Imperia- lis in *MSSis* positionib. *juris publici in exposit. position. 125.* Nec multò meliorem alii dant ex Ciceronis illis, quæ extant lib. primo de Ora- tore distinctione 50. secundum exemplar quod Gothofredus edidit. Ubi *jus publicum* ait id esse, quod est civitatis & imperii. Tale enim quid esse, etiam privato juri congruit, ut ambiguum vocabuli juris acceptionem, & alia, quæ efficiunt, ne definitio esse possint verba hæc, taceam.******

B

Dixi.

CAP. II.

1. **Q**uomodo describi possit Ius publicum, 2. ejus descriptio explicatur, 3. Ius publicum diversum apud diversas gentes. 4. Ius publicum Gallicum unde petendum. 5. Commentarii legatorum Gallicorum MS. in Bibliotheca Seguiriana. 6. Autores consuetudinum Regni Galliae nonnulli recensentur. 7. Iudicium de Notitia Regni Francici Dn. Limnai, & de Hotomanni Franco Gallia, & Claudii Sefellii libro de Regno Gallia. 8. Observatio ad caput secundum libr. 1. addit. Limnai. 9. Ius publicum Angliae quale aetate priorum Regum. 10. Autores apud quos descriptum extat. 11. Quale tempore tyrannidis quam exercuit Protector. 12. & quale modo. 13. Unde Danicum jus publicum disci possit, ostenditur. 14. Laudatur Isaacus Pontanus & Huitfeldius. 15. Hodiernum ejus regni jus publicum. 16. Suecorum jus publicum. 17. Liber qui id magnam partem continet. 18. Mutationis ejus tempora explicant Loccenius, Paulsenus, Ioannes Georgii. 19. Oxensternii Cancellarii Libellus MS. huc pertinens. 20. Recessus Regni Suecici ultimus. 21. Forma Regiminis ante annum & quod excurret constituta. 22. Tractatus MS. Iohannis Loccenii de jure publico Sueciae. 23. Polonorum jus publicum. 24. Orichovius imprimis laudatur. 25. Iudicium de Paulo Piascio ejusq; Chronicis. 26. Hispanorum jus publicum. 27. de Mariana & Hieronymo Connestagio iudicium. 28. Venetorum jus publicum. 29. De lanoto iudicium Bodini. 30. De libro qui sub nomine Squinitii de rebus Venetis prodiit Scriptoris Anonymi. 31. Ejus autor creditus esse Peirescius, Albizius, Marcus Velferus. 32. Ius publicum Vnitarum Belgii Provinciarum & ejus Descriptores. 33. Ius publicum Helvetiorum. 34. MSS. Historia Anhornii & Hospiniani apud San Gallenses. 35. Ius publicum Romanum antiquum quale. 36. Guido Pancirollus lauda-

tur & descriptiones rerum publicarum ab Elzevirii edita. 37. Observationes quinq; necessaria. 38. Non confundendum jus publicum Germanicum cum jure publico Gentium aliarum. 39. Non cum jurisprudentia Publica, 40. esse jurisprudentiam publicam contra Fibigium ostenditur. 41. Jurisprudentia publica & Politica differunt. 42. Facta publica distinguenda à jure publico. 43. Juris publici Germania definitio à Fibigio allata examinatur. 44. & quid illud sit subjungitur.

Diximus de juris ac publici vocibus, & definitionibus etiam aliorum, quas non sufficere existimamus: superest ut quid nobis sententiæ sit hoc capite explicemus. Videtur autem magna ambiguitate liberari posse juris publici descriptio, si loco vocabuli juris substituamus synonymum vocabulum legis, quando largissimè sumitur, qua usurpatione Grotio *de jure belli & pacis, lib. 1. cap. 1. num. 9. est Regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum est.* Ita enim & minus ambiguitatis, & plus perspicuitatis habebit descriptio. Sanè jus constat vel scripto, vel sine scripto §. 3. *inst. de jure Natural. Gent. & Civili*, quorum illud quidem lex est latè sumto vocabulo eodem §. 3. hujus vero, consuetudo partem magnam facit §. 9. *eod. tit.* Utrumque autem lex latissimâ usurpatione, continet. Quare jus publicum nihil nobis diversum esse videtur à Legibus, quæ directo & principaliter, vel quod idem est executione & intentione ad constitutionem & conservationem alicujus Reipublicæ spectant. Est nempe jus publicum ex eorum genere, quæ Entia per accidens, & quidem per aggregationem & ordinem Philosophis vocantur, quale quid etiam legem esse, dubio vacat. In eorum autem definitione loco generis, vel accipitur vocabulum aliquod compositionem significans, vel latius aliquod ens per ordinem, quod tamen ante sit definitum. Sunt vero leges, jure publico, proprio sensu dicto, aliquid latius, & ante definitæ; ut legitimæ adeo hoc sit genus. Nolui autem uti vocabulo quod significaret compositionem, vel ut Philosophorum aliqui vocant, coordinationem; Qualecunque enim id esse poterat, si

ne confusione aliqua jurisprudentiæ, publicæ & juris publici, quæ differunt tamen, adhiberi non poterat. Dixi, quæ directo & principaliter spectant ad bonum commune alicujus Reipublicæ, ut eò melius distinguatur à jure privato; nempe in hoc etiam intentione quidem respicitur commodum publicum, quod ex privatorum rebus bene se habentibus demum exsurgit, at non directo tamen id agitur, nec Legislator executione sua in iis causis respicit ad aliud bonum quam privatum, ut bene observat Franzkius *Comment. in Pandectas ad tit. de justitia & jure. num. 92.* Cujus & hæc, quæ recitavimus, verba sunt. Alicujus Reipublicæ; non autem Germanicæ solum, ideo diximus, ne in generali Publici Juris definitione peccaretur descendendo ad speciale Jus Publicum Germaniæ nostræ, quod non Brautlachius *libr. 1. cap. 1. §. 3.* solum, sed plures recentiorum alii faciunt, qui duo hæc noxiò errore confundunt.

II. Et vero singulæ Gentes suum habent, idque peculiare jus publicum sæpe etiam ac plerumque tale, ut cum alterius gentis publico jure ea in parte, quæ jus publicum ex positione oritur, pugnet; Quod ne novum alicui videatur post Welsembecium, Connanum, Marcum Lyclamiam, quos ipse testes advocat, tradit etiam Frantzkius *d. Comment. num. 98.* Et Fibigius *quest. 2. in Elect. n. 7. Quot.* ait, *sunt imperia legitima, tot etiam sunt jura publica,* quod & more suo accuratè observat Hermannus Conringius *in MSSti, notis ad Lampadium de Republica in prelat.* Ita Gallorum longe aliud est Jus Publicum, quam nostrum, cujus magnam partem ex eorum libris discere est. Qualis Bodinus de Republica, Stephanus Pasquierius libris *des recherches de la France,* & illis, quibus collectæ exhibentur Epistolæ ipsius, tomis duobus, libris vero 22. Cardinalis d' Ossat libris 9. literarum ad Regem Henricum, & præcipuum Regni ministrum. Bret *de la Souverainete du Roy.* Lupanus de Magistratibus & Præfecturis Francorum. Cassan. libris. inscriptis *Recherche des droits, & pretensions du Roy.* Loyseau *des Ordres L'Etat & succes des Affaires de France* du Girard, & imprimis libellus recens Dn. du Verdier, cui nomen fecit *L'Etat de France.* Liber qui continet *Les Negotiations du President Jeannin,* ac plures ejus generis, quibus Legatorum Gallicorum Commentarii, instructio-

structiones, ac negotia continentur, quos utinam ex Manuscriptis quæ habet celeberrima Seguiriana Parisiensis Bibliotheca aliquando editos videret eruditus orbis. Non parum quoque ad hujus juris publici Gallici peritiam faciunt Commentarii in consuetudines: quales extant, Petrus Gvenois insigni libro, cui nomen fecit *La Conférence des costumes tant generales que locales & particulieres du Royaume de France*-Molineus ad Parisienses. Ad Britannicæ Argentæus, Burgundiæ Bartholomæus-Chassanzus, Burbonicæ Johannes Pappo, Aurelianenses Dyonisius Gothofredus, Pictavienses Petrus Rat. ac alii. Sed nec frustra aliquis consuluerit Petrum Matthiam Principem Gallicæ historicū saltem, qui post Æmilium & Cominæum fuit, Scipionem du Pleixan, *Histoire Generale de France*, ac l' inventaire du Serres. Thuanum quoque & Gramondum. Ausim tamen adferere nullo uno volumine hæctenus tantum juris publici Gallici, ac tanta varietate collectum, quantum continetur illo, quod sub nomine notitiæ Regni Franciæ publicavit diligentissimus Limæus. Hotomanni Franco-Galliæ locum propterea hic nullam tribuo, quod antiquioribus potius, quam nostris temporibus convenire videatur, utpote quæ dum eam, quæ Regi propria est, potentiam etiam populo ex parte tribuit, saltem ad veros seculi hujus mores parum congruit. Nec aliter sæpe Claudius Sefellius de Regno Gallicæ, qui libro suo alioquin eruditissimo, affectu, (cujus causas norunt plurimi) non veritatis studio actus, eam adfuit maculam, quod Statum Gallicæ, (quod secus esse ignorare non potuit) mixtum facere passim conetur. Quo loco id negligendum minime est, quod Dn. Limæus in additiones suas retulit, tom. 4. c. 2. ad n. 17. ex Mercurio Gallico tom. 12. prohibuisse Ludovicum XIII. in Gallia de potestate Regis Gallicæ, reliquorumque Regum ac Principum, sine expressa permissione Regia quicquam vel in affirmativam vel in negativam partem decernere; id hodie omnino non obtinere, cujus rei fidem abundè fecerit vel solus libellus inscriptus L' Estat de France, Le Ministre d' Estat du Monf. Silhon, aliique plures.

III. In Angliâ jus publicum repetebatur Regum tempore ab antiquis ac recentioribus eorum Historicis, Legibus ac Jurisconsultorum quoque libris. Talis tuta libris *de differentiis Curiarum*. 100

- David Jenkinsius libello cui titulus *Lex terra*. Bractonus, ac alii. In eam rem multa egregia habet illustris Salmasius *Defensione Regia, c. 8. 9. & 10.* & opere posthumo, quo ludos fecit Johannem Miltonum. Nec pauca etiam collegit illud Angliæ suæ decus Johannes Seldenus, qui plerisque libris quos edidit, aliquid juris publici Anglorum attigit. Sed & utile fuerit huc pertinentia quædam repetere ex erudito libello Thomæ Schmidii de Republica Anglicana, & Cambdeno, nobili Angliæ Historico. Ea ætate, qua post condemnatum ac interemptum Regem, per summum scelus, & pudendum seculo nostro, inauditi prorsus exempli nefas, Cromwellus tyrannidem verius quam Imperium in Anglos exercuit, ius publicum iisdem turbis, quibus integer populus, agitatam fuit. Hinc lepide ad Miltonum Salmasius in opere posthumo, quo ipsi respondit, *Mus sit, an Famina, an Hermaphroditus ista vestra Respublica, nemo potest dicere, cujus & formam nondum bene constitutam esse agnoscis ipse.* Quædam tamen Juris publici illius temporis hauriri possunt ex libello, cui titulus: *Ratio constituta nuper Reipublica Anglia, Scotia, & Hibernia, cum Insulis aliisq. locis ejus ditioni subjectis, penes Du. Protectorem & Parlamentum,* quem jussu Cromwelli editum, & ex Anglico versum, deinceps typis suis Hagæ Comitum, describi curavit
- 12 anno 1655. Adrianus Vlacq. Hodie, ex quo Regem suum recepit, felix eo nomine Anglia, juris publici Anglici pauca adhuc siteris prodita sunt, vel falsam nobis innotuerunt, qui nihil ejus rescire potuimus hætenus, nisi quod vel narrarunt acta vel typis in Diario Europæo, ut vocant, descriptum legitur.
- 13 IV. Regni Daniæ jus publicum ante hac ex latis in Comitibus Regni legibus, magnam partem desumi poterat. Earum recentiores produisse non memini; Veterum præcipua & quæ ad Rempublicam inprimis pertinent, apud Saxonem Grammaticum, cujus egregiam editionem dedit Stephanius, Meursium, ac, cujus accuratissima
- 14 in his conquirendis & digerendis cura fuit, Isaacum Pontanum, reperiatis. Sed & multa ejus generis extant apud Huitfeldium vernaculum quidem, sed rerum patriarum apprime gnarum Scriptorem,
- 15 in historia Danica. Cæterum, quæ hodie sit juris publici in illa gente, ratio, mutato in melius tot turbis obnoxio, ac rebus gerendis
- minus

minus idoneo, qui ante hæc tempora invaluerat statu, id ex iis quæ indies promulgantur, & novis Regni post Epocham mutationis, nativis constitutionibus, repetendum est.

V. Quæ ad Suecorum statum pertinent, publicæ leges, earum antiquissimæ ex volumine juris Suedici, quod vernacula ipsorum cum sæpè alias tum nuperrime Anno 1656. Holmiæ excusum sub nomine *Schwertiges Lands och Stadslag* / & præ cæteris ex titulo primo, quem *Königs Wälsker* / hoc est, Regium titulum ipsi appellant, peti queunt. Et vero ejus hodieque non pauca usu obtinent; sensit tamen & illud suas vices, pluribus immutatis, eo tempore, quo Gustavus primus, post ejectum Christianum II. rebus præfuit. Quod ex Recessibus Regni Orebrugensibus & Norcopensibus, aliisque discere est. Quo tempore etiam, quod electivum hæcenus fuerat Regnum, consensu statuum factum est hæreditarium, sed tum solum, si masculi superessent. Gustavi autem hujus primi tempora, in quam epocham primaria incidit juris publici Suecici mutatio, qui accuratè descripta legere velit, is ea commodissimè repetierit ex Historia Sueo Gothica Johannis Loccenii, Holmiæ ante annos paucos typis descripta. Consuli possunt & Pauhnius in Historia Arctoa, & Johannes Georgii, cujus tamen omnia lingua saltem habentur Suedicâ. Johannes quoque Messenius operibus plerisque aliquid juris publici Suedici attigit, inprimis in Sueo Pentæropoli. Ætate Gustavi Adolphi secutz aliæ publici juris mutationes, & delata Regni successio etiam ad fœminas, quod iterum loquantur Recessus: illud vero, quod obtinuit post Gustavi fata ad annum usque 1644. quo Christina Regina ipsa Regnum administrare cepit, Regni Cancellarius Axelius Oxenstierna egregio libello complexus est, qui lucem tamen publicam hæcenus non vidit, sed manuscriptus saltem inter bibliothecarum rariora servatur. Ejus exemplar est, penes Cl. Virum Nicolaum Rittershusium Jctum & Professore Noricum in Academia Altdorphina. Postremus Recessus prodit anno 1660. die 3. Novembris, quibus iisdem Comitibus & alia composita est Regiminis forma, quorum ille quidem in Germanicam linguam versus habetur, hæc autem nondum quod sciam, aliam quam Suecica lingua legitur. Audio autem ab iis qui hæc tractantem

22 tem audiverunt, peculiari & accurato opere mſſto, jus publicum Sueciæ magnam partem complexum, Virum eruditissimum Johannem Loccenium, Honorarium modo Professore ac Bibliothecæ Præfectum supremum in Academia Upsalensi: quod tamen an lucem publicam visurum sit aliquando, valde, haud levibus de causis, ambigitur.

23 VI. Polonorum jus publicum comitiorum decretis fermè totum niti nemo nescit. Ex Martino Cromero de origine & rebus Polonorum, Simone Starovolscio, quem nuper edidit Hermannus
24 Conringius, & imprimis Orichovii Annalibus, quas de rebus Sigismundi Augusti prorsus egregias, ipse ex regni Proceribus edidit, præcipua cognosci possunt, imprimis ea quæ sunt superiorum seculorum; Nam quæ nostram ætatem spectant, ea Paulus Pafecius
25 in Chronicis gestorum in Europa, singularium luculentius subministrat, quo scriptore sæpe usus est laudato nomine ejus Hermannus Conringius, Epistola, quam titulo justitiæ armorum Suecicorum in Polonos, sub nomine Cyriaci Thrasimachi scripsit. Negant tamen Pafecio in omnibus securè fidem adhiberi aliqui, & certum est non esse ipsum ab omni in Historia errore immunem.

VII. Hispanorum juris publici passim apud eorum Jctos, Historicos & Reipublicæ descriptores, extant vestigia. Historicos collectos habes uno opere quod sub Hispaniæ illustratæ nomine prodit, & non multo pauciores 7c. autoribus, continet. Ex iis præcipuus Johannes Mariana, quem id præstitisse in Hispaniæ rebus narrandis credit Gabriel Naudæus libello Gallico, *Advis pour dresser une bibliotheque*, quod in Francicis Æmilius, in Germanicis Beatus Rhënanus Selestadiensis, Fortassis tamen non longo intervallo eum sequitur. Hieronymus Connestagio Italus. Reipublicæ Hispaniæ constitutæ rationem descriptam etiam reperire est inter Respublicas minori forma in Hollandia typis descriptas.

28 VIII. Venetorum pleraque Caspar Contarenus libro de Magistratæ & Republica Venetorum, Gionatus vel Janotus, utroque enim nomine appellant auctores, Donatus, qui Contarenum, licet, & ipsum autorem egregium, erroris nonnunquam convincit, & Andreas Maurocenus, Historiæ Venetæ princeps, suppeditare idonei sunt

sunt. De Janoto hoc ita sentit Bodinus *libr. 2. de Republica. cap. 1.* 29
 Eum Reipublicæ Venetæ Statum à primordiis, & quidem accuratissime descripsisse. Quædam etiam, eaque rariora, ad antiquitates, & 30
 jura publica Reipublicæ spectantia, continet liber Italus, qui titulo Squintii prodit, ac creditus est ob eximiam eruditionem, quam passim ostendit, non alium autorem habere posse, quam Nicolaum 31
 Claudium Fabricium Peirescium, cujus vitam incomparabili opere descripsit Gassendus, quem vide in eam rem, ad annum 1612. paulo post initium libri tertii, ubi tamen vel Antonium Albizium, vel Marcum Welferum, quod ipsi verò similis videtur, ejus autorem facit.

IX. Unitæ septem Belgii Provinciæ cum iis quæ eo pertinenti- 32
 tionibus, & ipsæ suo fruuntur Jure Publico, quod collegit partem magnam Guicciardinus in Belgii descriptione; majori tamè artificio & minori mole in Commentariolo, de statu confœderatarum provinciarum, expositum cernitur, quem Marco Zuërio Boxhornio tribuunt. Superat autem reliquas prima ejus editio, quod in sequentibus sublata quædam sint, decreto, ut fertur, publico, quæ in prima utiliter legebantur. Ante annum & quod excurrit, prodit Philippi 33
 Zesii à Zesen, Leo Belgicus, hoc est, succincta narratio, exordii, Progressus, & denique ad summam perfectionem redacti stabilimentis, ac interioris formæ & status Reipublicæ fœderatarum Belgii Regionum, quo ea, quæ priori libro tractari diximus, prolixius etiam exequitur.

X. Helvetiorum quoque Reipublicæ separatim esse à reliquis Jus publicum, non potest esse obscurum. Ejus passim extant quædam 34
 apud Bodinum in methodo Historiarum & de Republica libris. Sunt autem illis accuratiora, quæ dedit Simlerus, Franciscus Guillimannus, ac alii eorum Historici, de quibus differit non ineleganter Dn. Johannes Henricus Hottingerus in methodo legendi Historias Helveticas. Habes autem eam in tractatu, qui ab ipso inscribitur Dissertationum Miscellanearum Pentas, quinto loco. Superfuit vero passim in Bibliothecis Helveticis manuscriptæ historiarum plures, quæ res illius Reipublicæ doctè & vere, sæpe etiam ex rarioribus monumentis explicant, quam faciunt editæ pleræque. Tales in Bibliotheca civitatis Sangallensis Anhornius, qui novem libris

bris majoribus ipse descripsit res sua ætate gestas, ac deinceps Bibliothecæ urbis legavit, ac Hospinianus, etiam qui parem operam sua ætate impendit, uterq; autem ibi manuscriptus servatur adhuc, aliquot in folio, ut vocant, voluminibus.

35 XI. Jus Publicum Romanum antiquum, passim exhibet vetus
 36 Historia Romana, imprimis libet inscriptus, Notitiæ utriusque Imperii, in quem extat eruditissimus Clarissimi Guidonis Pancirolli Patavini Jcti Commentarius, quem auro contra charum habent doctores. Aliorum Imperiorum Status, aut publicæ rei Autores, persequi, non est hujus loci, nec nostri in præsens quidem instituti. Consulere interim qui velit poterit Respublicas diversas, quales illas ediderunt Elzevirii. Saltem enim de plerisque ibi aliquid reperiet, quod si non satisfacere, delere tamen possit. De Germanicæ nostro præcipue instituta est hæc tractatio, eoq; unde petendum illud sit, pluribus deinceps tractabimus.

I. XII. Et hæc quidem Prima sit, eaque necessaria observatio, 37
 38 ne quis vel existimet non esse hæc Jura Publica, vel idem esse cum jure publico generaliter dicto, ~~aut cum jure~~ publico Germanico.

II. Altera isthæc; quamvis Jus publicum sint solæ Leges aut Con- 39
 39 suetudines illæ, de quibus antea diximus, non ea sola tamen propterea enarrare Jurisprudentiam publicam, sed adjungere etiam omnia illa, quæ ad eas dextre intelligendas, ac, si ambigunt, interpretandas faciunt. Hinc & in definitionibus rerum, ut quale sit jus publicum, quid sit Status Imperii, quid Comitia, interdum in obscura dignitatum origine, historica enarratione occasionum, quibus ærgentibus leges publicæ latæ sunt, Genealogica Stemmatum enumeratione, explicatione & collectione Maricularum, & ejus generis aliis versatur, quod videre est ex Commentatoribus Juris publici omnibus: quæ ad jurisprudentiam publicam omnino necessaria sunt, nec minus etiam ad intellectum juris publici, sed tamen propterea ipsum jus publicum non sunt, nec dici propria acceptione queant.

III. XIII. Unde patet etiam tertia Observatio. Differre jus publicum à prudentia juris publici. Et sane ad eum modum, quo a corpore naturali differt, quæ id explicat, Scientia, haud secus à jure publico diversa est, quæ id tractat, doctrina, utque isthæc Physica, ita

hæc

hæc jurisprudentia est publica. Gotfridus Fibigius Antecessor Aca-
demix Jenensis in Electis juris publici *Semidecade 2. quæst. 3.* nul-
lam agnoscit specialiter ita dictam jurisprudentiam publicam, idè 40
quia una Jurisprudentia Romana objectum habet jus civile Roma-
num, quatenus consideratur ut totum integrale, dispesciturque in
partes integrantes (non autem species.) privatum & publicum jus.
Qua in re tamen haud dubiè fallitur. Sanè Demosthenes in Timo-
cratem de jure dixit, *ἔστιν δύο εἶδη; εἶδη* autem species est. Et Theo-
philus, fides plerumque interpres in paraphrasi Græca §. 4. pro eo
quod in Institutionibus est, sunt duæ positiones, *δύο εἰσὶν Ἰσχύς*, id
exponit, *ἡ γὰρ εἶδη*, quod benefactum ex Harmenopolo & aucto-
re Ecclorum probat in notis ad eum Gotofredus. Nec aliter Hu-
go Grotius, quo nemo felicius Græcos vertit, in florum sparsione ad
jus Justinianæ eodem hoc §. ubi illa Demosthenis vertit, *Due*
sunt positiones, ut satis appareat, speciem & positionem hic illum pro
uno eodemque habuisse. Consentit Wesemb. *ad tit. ff. de just. &*
jure n. 14. Vinnius *ad §. 4. instit.* plures nominare nihil attinet. Et
si partes solum sint Jurisprudentiæ, quo modo inde conlequeretur
nullam esse Jurisprudentiam publicam, idè, quia una jurispruden-
tia versetur circa publicum jus & privatum; id enim dari jurispru-
dentiam publicam probat, non infert non dari, quòd ille existimat;
Nempe Jurisprudentia totalis continet jurisprudentiam privatam
& publicam, ut partiales jurisprudentias, quod pridem observatum
Philosophis in artibus & scientis fieri, ut artes & scientiæ totales (ita
ipsis dictæ) plures contineant artes & scientias particulares. Quic-
quid sit, id certum est, qui negant jurisprudentiam hanc, litem in-
tendere saltem de nomine; cæteroquin dari prudentiam quæ versetur
circa jus publicum ipse Fibigius non diffitetur: Est vero hoc ip-
sum quod jurisprudentiam nos appellamus publicam.

XIV. Sed & IV. notanda est insignis differentia inter juris
prudentiam publicam & Politicam tanto acuratius, quo plures hæc IV
confundunt, ferè tamen recentiores solum, iater quos miror esse 41
subtilissimi ingenii Jctum Bernhardum Sutholdt, *qui Dissert. 1. n.*
43. id vocat politicam specialem; in quam sententiam etiam ea de
re differit Cyriacus Lentulus, in nova, ut appellat, meridiatione de

Republica quæ cis paucos menses Cassellis prodiit *parte anteriori*. p. 16. Sed hujusmodi politicam & Aristoteles & interpretes ejus, ac politici hæcenus alii melioris notæ ignorant. Est enim de natura ejus, ut ad singula neutiquam se demittat politica: nempe nihil sigillatim de ulla Republica in individuo præcipit, sed in communi de illis saltem ac generatim tractat. Juris prudentiæ publicæ alia est ratio, utpote quæ ad specialem aliquam Rempubliam pertineat. Politica non jubet quid agendum sit ex decretis ante factis, sed quomodo ipsa sint decreta condenda, quid observandum, quid immutandum, qua de re opera pretium est, afferre integrum & elegantem Hermanni Conringii locum, excerptum ex præfatione quam Cornelii Taciti de moribus Germanorum libello prolixam præmisit, cujus postrema se nobis valdè probant: *Apparet [verba ipsius sunt] cuius vel leviter in hanc publici juris scientiam intuenti, nihil illam aliud polliceri, quam notitiam eorum, quæ circa publica hoc in Romano Germanorum imperio sunt constituta, adeoque sive consensu ordinum aperto, sive tacita consuetudine vim legis acceperunt, à quo profecto multum diversa civitatis præcedentia est. Hæc enim nihil sigillatim de hac nostra Republica, ut nec de ulla alia præcipit, sed in communi tantum occupata, ut natura est artium omnium & scientiarum, ad singula neutiquam demittitur; Hæc non respicit unius solum civitatis salutem, sed omnium omnino in universum æqualem habet curam. Hæc denique non jubet quid agendum sit ex decretis ante factis, sed quomodo ipsa sint decreta condenda, quid eorum observandum, quid mutandum & qua cautione, usu id ipsum postulante. Tanto scilicet discrimine distat utraque hæc cognitio, quanto medica ars ipsa ab ea cognitione abest; qua novit Medicus quid in Socrate E. gr. sanum sit aut invalidum. Respondet enim medicina prudentia civili, & juris publici scientia penè gemina est illi notitia quam de Socratis valetudine sibi Medicus comparavit. Pluribus ea de re differit in notis manuscriptis ad Lampadium, quæ quia brevi emendatioribus & auctiores typis expectantur, ad ducere in præsens superfedemus. Confer & Dn. Struvium *Syntagm. Pandect. tit. de justitia & jure, num. 43.* & Fibigium in *electis juris publici semidec. 1. quest. 3.**

V.
42

XV. Neque vero prætereundum sollicitè distinguenda esse à

jura

jure publico quæ publicè fiunt saltim, etiam si id fiat non ab uno aliquo, sed interdum pluribus & in conventu, quamvis magno, modo tamen non eo, qui jus publicum in Republica constituendi potestatem habeat. Sanè is lapsus tantò majori cura præcavendus, quæ totam juris publici rationem nullus magis conturbat, & quo majori studio ii aliquando, qui in Imperiis præcipuas partes sustinent vulgo illum sæpè persuasum volunt. Sed vanitatem tamen sententiæ hujus, quæ factum & jus publicum confundit, tum alia, tum ipsa imperii praxis arguit. Vidimus nostra lætate multa hujusmodi facta circa jus publicum ex jure publico rescissa, quod accidit paci Pragensi; quamvis Imperator, plerique Catholici ac Protestantium aliqui eam probassent. Et gravamina quæ in comitiis proferuntur non aliud sunt, quam facta contra juris publici rationem inducta aut saltem quæ talia esse perhibentur. Utque facta hæc à jure discernantur, ideo magnam partem Comitum, omnino autem Aulicorum & Cameræ, imperialia judicia instituta sunt. Ea tamen facta excipio, quæ & apta nata, ut inde legitima consuetudo exurgat, ista enim & juri publico sæpè normam dant.

XVI. Ex generali hac descriptione, cum iis, quæ inde deduximus consecrariis, haud difficulter quidem constare potest, quid sit jus publicum Imperii vel Germaniæ nostræ, qua in parte tamen plerique quid definiendum sibi existimarunt, vix satisfaciunt. Et quia ad intelligentiam juris publici præcipuè facit non decipi falsis ejus descriptionibus, saltem eam quæ reliquis melior plerisque visa est, ac quam dedit nuper Dn. Fibigius in electis *Semidecade 1. quest. 2. in fine.* considerare operæ fuerit pretium. *Jus publicum Romano Germanicum est Reipublica Romano Germanica proprium jus publicum, Caesaris statumque Imperii consensu promulgatis legibus constitutum ac definitum.* Prætereo alia quæ circa hanc definitionem (quomodo illam appellat Fibigius) admoneri possunt, & illa etiam quæ in illa deesse existimat Dn. Schutz Junior in lectionibus juris publici in *Exposit. Positionis secunda*, quæ manuscriptæ in nonnullorum manibus versantur. Sequentia autem vix permittere videntur, ut quis pro accurata eam habere possit. Vocat Rempublicam nostram, Romano Germanicam, quod ut defendi possit, quia in

controversiam vocatur tamen, ab Italis, Gallis & etiam nostris scriptoribus nonnullis, partem definitionis facere non debuit. Deinceps illud proprium jus esse ait Reipublicæ nostræ, quod, ut de complexione illa universi juris verum sit, de particularibus tamen eis legibus, quæ sæpe communes aliis Rebus publicis sunt, dici nequit; Requirit ut id sit legibus Cæsaris statuumque consensu promulgatis constitutum, qua ratione nullus relinquitur locus consuetudinibus. At magna tamen illis passim in Imperii Recessibus, magna in ipsa Caroli IV. Bulla, tit. 1. in princ. tit. 2. §. Et quia tit. 4. §. 1. tit. 5. eod. tit. 28. vers. invenimus, tribuitur auctoritas. Quare id non magis probari videtur posse in definitione juris publici Germanici, quam illud in altera juris publici in genere accepti, quod vult ad communem omnium utilitatem id pertinere, Qua ratione in Regno pleno ac *παρβασιλία* cujus Aristoteles meminit, cum alibi tum lib. 3. cap. 16. Politicorum, (cujus in Africa & Asia & olim erant, & nunc supersunt exempla multa & qualia ferè in Europa sunt Turcicum & Moscorum Ducis Imperium) nullum fuerit jus publicum, ad dominantis enim commodum, non *subditorum* ibi omnia referuntur. Commodius jus publicum imperii nostri idem esse dicitur
 44 cum legibus, quæ directò & principaliter, (vel quod idem est) intentione & executione ad conservationem & constitutionem Reipublicæ Germanicæ spectat.

CAP. III.

Pincipium quid significet 1. quotuplex sit 2. ac qua differentia inter principia cognoscendi & essendi. 3. Jus Naturæ Principium Juris Publici. 4. id probatur. 5. Autores consentientes. 6. & Dissentientes. 7. Loccameri argumentum in contrarium. 8. cui respondetur. 9. Observationes duæ ad hujus controversiæ explanationem necessariae. 10. Jus publicum quando mutatur, non mutatur Jus Naturale. 11. De Jure Naturæ novæ recentiorum sententia. 12. Egyptiorum sententia inquiritur. 3. Eorum mundus intellectualis & sensibilis. 14. & inde nata probabi-

habilitate de lege caelesti & divina prater Naturalem, opinio. 15. Errores Aegyptiorum circa ea quae sunt juris Natura. 16. Indorum sententia de Iure Natura. 17. & quae ab illis contra Ius natura peccantur, ex Herodoto, Strabone, Boullao & Mandelschloe. 18. Sinensium de Iure Natura opinio. 19. eorum sex praecepta, quibus id exprimunt. 20. Consensus Confutii primarii illorum Philosophi. 21. Errores Sinensium circa Ius Natura. 22. Iudeorum de Iure natura sententia. 23. Philonis & Iosephi, ac in latine versis operibus ejus, etiam Maimonidis silentium, de capitibus juris Noachidarum. 24. Opus Iad Mosis Ben Maimon laudatur. 25. ex Talmude & Talmudicis petenda eorum de Iure natura sententia. 26. quod eorum Corpus juris. 27. Praecepta septem illustrata Noachidarum. 28. eorum interpretatio. 29. Filescacii, Bolduccii, Genebrardi, errores circa eorum recensionem. 30. Seldeni iudicium de Iudeorum hac opinione. 31. nonnulli addunt duo alia praecepta de esu sanguinis & Sabbathi observatione. 32. quod communiter Iudeis improbat. 33. Modus quo cognita fuerint praecepta hac Adamo ex mente Iudeorum. 34. Poena in violatores septem praeceptorum Illustriorum Noachidis praescriptorum à Iudeis irrogata. 35. eaque prater temporales etiam credita aeterna. 36. Capita minora vel obscuriora juris natura. 37. eorum numerus incertus, ac tota de iis traditio obscura, & divisio in duas classes. 38. recensentur exempla. 39. obscura cur vocentur. 40. Sententia hac Iudeorum expensa. 41. & erroris convicta. 42. Non probari potest illorum opinio, qui plura, septem enumeratis, praecepta illustriora faciunt. 43. non illorum qui ad literam explicari volunt septem praecepta. 44. nec explicatio Talmudistarum. 45. neque etiam Seldeni interpretatio. 46. nec admitti potest illorum sententia, qui Ius natura putant cognosci ex praeceptis illustrioribus & obscurioribus conjunctis. 47. Incole novae Belgicae quid de Iure natura sentiant. 48. Exempla gentium Orientalium ac alio-

ac aliorum qui contra jus Naturæ deliquerunt, à quibus collecta.

49. Digressio ad sequens caput 50.

I. **P**roximum est, ut post ea, quæ disseruimus prioribus capitibus, proprius accedamus ad juris publici principia. Cum varia autem denotet principium, nos eo sensu usurpamus, ut significantur prima illa fundamenta, ac quidam quasi fontes, è quibus jus publicum emanat, unde certitudo ipsius aut probabilitas dependet, cuius secundo loco mentionem facit Aristoteles *Metaph. 4. cap. 1. ac tale esse ait, unde quodque optime fiat.* Cum autem duplicis generis sint Principia hæc, ut eodem loco monet Aristoteles; *Veia unde aliquid est, seu fit, quæ principia rei, & essendi Philosophis vocantur; Vel unde cognoscitur, quæ cognoscendi aut cognitionis principia dicuntur;* De utrisque nobis agere animus est. Sunt quidem Principia rei (quæ & essendi *Metaphysicis* dicuntur) & ipsa Principia cognoscendi, quoniam (liceat nobis uti ipsorum verbis, quamvis non nihil barbaris.) *ex quibus aliquid dependet in esse, ex iis etiam dependet in cognosci,* adeoque simpliciter & absolutè considerata Principia quæ vocantur essendi, non differunt à principiiis cognoscendi, sed sub eis comprehenduntur: ~~Quis tamen evanuit~~ aliquando, ut principium quoddam, solum tale sit, unde aliquid cognoscatur, non etiam unde constituatur; nec ad rem, sed cognitionem solum rei, in animo nostro referatur, adeoque exclusionem alterius interdum involvat notio hæc, justa est hæc invicem distinguendi causa. Vid. *Stæbium in Metaphysic. cap. 3. distinct. 3.* Et vero in jure publico utriusque generis principia dari, ostendent sequentia.

II. **II.** Faciemus autem ab illis, quæ id constituunt, initium, desinemus in reliquis unde cognoscitur solum. Ex illis primum locum damus juri naturali. Cum enim à ratione, communi principio proficiscatur jus hoc, omnes homines eo adstricti tenentur, Republicæ corpus vero ex hominibus constat. Tenetur ergo eo Republica, nec quicquam in quocunque negotio, etiam publico & ad constitutionem ac conservationem suam pertinente, contra admittere, aut eo non uti, potest, ubicunque aliquid imperat. Sed & experientia indice, in omnibus Rebuspublicis constat, partem juris publici facere leges naturæ quæ si desint, non in negotiis solum privatis, sed multo magis in publicis quidvis potius, quam Republica, hujus-

hujusmodi conventus fuerit. Elegenter in eam rem differit Bachelius in *Comment. ad primam partem Pandectarum*, tituli. *de justitia & jure in L. l. §a 1. p. 77.* Non omne jus publicum, ait, Romanorum esse inventum, ratio satis manifesta, quin & ipse probat rei veritatem. Nam sicut ipse Civitates sunt ex Jure Gentium, & quasi ex ipsa quodam Natura: Cum homo natura sua sit animal aye-labile, ita & Jura Sacrorum & Magistratum, sine quibus, nulla plane consistere potest Civitas. Deinde Jus Publicum suum Romanum non exigentem partem desumerunt, ex Sabinorum, & praecipue Aristoteli disciplina, quin & à Grecis acceptum in XII. Tabularum repperunt, ut vel ille *Aufonii versionis testatur.*

☉ Jus triplex tabula quod ter sancere quaternis.

Sacrum, profanum, & populo communito quod usquam est

Ubi in specie sumit Publicum & opponit Iuri sacro. Quia Religio erga Deum pervenit ad jus publicum, & ea in l. 2. hoc. t. ad jus gentium refertur. Haecenus ille: Atqui haec sententiam & alibi ad Treutl. vol. 7. dispus. 1. th. 3. lit. b. tuctur, quae & placet Domino Hahnio in obsequio: ad *Wesembecium ad m. 1. 4. de justitia & jure*, ad verba, *fac esse ut intelligi possit p. 40.* Dn. Linnæus tom. 1. juris publici libr. 1. cap. 7. num. 174. ubi *Gaddium, Vultojum, Giphanium, ac Lopezium* pro eadem sententia laudat. Dn. Schultz Collegio de statu rei Romanae vol. 1. *Diff. 1. thes. 5. lit. a.* ubi *Hannam* ejusdem sententiae Patronum nominat. Dn. Ludwel. in *Comment. de justitia & jure* m. 3. & *Harprecht. ad §. 4. instit. de justitia & jure*, (ubi consentire monet *Idoromannum, Winclerum, Kabachium, Hendorium, Gerhardum, Nigrinum,*) & *Wurmsero Exerc. 1. juris publici quest. 9.* qui in eadem etiam sententia fuisse *Befoldum*, adducto quodam loco ipsius probat, & argumento dissentientis *Ungepaueri* respondens ac *Arnold. Vinnio ad d. §. 4. instit.*

III. Scio quidem, esse etiam JCtos eruditissimos qui aliter sentiant, argumentis nec levibus nec contentendis. Inter quos plerique referunt *Wesembecium ad tit. de justitia & jure num. 1. 4.* ut mihi videtur, immerito; nisi fore assis, quod in locis aliquot observari, & hic variant diversae ejus editiones. Neque enim simpliciter scribit, jus publicum non collectum esse ex praecipis naturalibus;

D

sed

- 7 sed addita limitatione has: *Magna sui pars.* Videtur autem ita sensisse post Lyclanum, Cujacium, & qui illum vix unquam destituit, Borchotum, Treuxlerum, Alciatorum alios, Loccamerum in *questionibus Justinianis quest. 6.* Ubi, postquam quaesivisset, *an etiam jus publicum collectum sit ex praeceptis naturalibus, gentium, & civilibus?* Negative respondet, ac sententiam suam specioso argumento tuetur, quod firmissimum appellat Biccus in *prologo rerum quotidianarum num. 32.* Est vero illud tale. *Quodcumque jus universum ad statum certa civitatis spectat, ejusque proprium est, in nulla ex parte collectum est ex praeceptis naturalibus & gentium §. 1. insitit: de jure naturali.* Atqui jus publicum universum ad statum certa civitatis spectat, ejusque proprium est §. ult. *insitit: de just. & jure.* Ergo jus publicum nulla ex parte collectum est ex praeceptis naturalibus & gentium.

IV. Videtur autem, salvâ JCi celeberrimâ auctoritate, non esse impossibile dissolvere hunc nodum. Jus publicum universum enim duo significare potest, vel leges publicas, quatenus unum constituent corpus, ac congeriem, ut ita dicam de massam unam, adeoque respectu ac ratione totius alicujus integrantis: vel leges has separatim & scorsim, ut singulas consideratas. Si priori sensu accipitur in primâ argumenti propositione, ea certe minime firma subsistit talo. Neque enim ulla est consequentiae ratio, quia legibus hisce omnibus simul sumtis non utitur Respublica alia, ideo etiam non uti illam unâ vel alterâ vel multis legibus, quæ hoc cumulo continentur; neque id probat §. 1. *insitit: de jure naturali, gentium, & civili.* Traditur enim ibi scilicet, quid sit jus civile strictè acceptum, ac tum significare dicitur, id quod quisque populus sibi constituit. Jus publicum autem Respublicæ alicujus, ut totum consideratum, non est jus civile in stricta significatione, sed in altera illa laxiori, qua continetur omne jus quo utitur Respublica, si ve id ex naturæ, aut gentium, aut strictè dictis civilibus legibus constet. Nota autem hæc & certa est juris civilis distinctio, quæ fundamentum non ex re ipsa solum, unde præcipuè res hæc æstimanda, sed finalibus etiam verbis §. hujus repetit, Vid. & Arnold. *Vianium ad §. 4. insitit: de justitia & jure, in verbis: Tripartitum est*

est & §. 1. *infra*, de jure naturali, gentium, & civili, ac Harprecht. ad §. 2. *infra*, de jure natur. gent. & civ. ubi Giphanius etiam & Winclerum hujus distinctionis testes habet. Molinam de *justitia & jure cons.* 1. tract. 1. *disput.* 3. *num.* 6. Bachovium ad *sa. temp.* p. 25. Quod, si jus universum publicum, hic leges publicas quidem, sed singulas in prima propositione significat, ut eadem sit propositio hæc cum illa: Cujuscunque juris singulæ leges ad statum certæ civitatis spectant, eique propriæ sunt, id non collectum est ex præceptis naturalibus: Agnita majore, nego minorem; neque enim propriæ sunt, cum exclusione aliorum, hujusmodi leges omnes, uni civitati certæ, neque ad statum certæ civitatis solummodo, sed ita spectant, ut simul etiam utrumque sui aliis concedant Rebus publicis. Neque quicquam ita explicato negotio officit §. *ult. infra*, de *justitia & jure*; Non enim dicitur ibi singulas leges juris publici Romani proprias esse vel solum pertinere ad statum Reipublicæ Romanæ. Et si utrumque de jure diceretur, de toto corpore & collectione legum publicarum, non de singulis legibus accipiendum id fuerit.

V. Res ergo hæc omnis confici posse videtur, si probè observentur duo ista. Primo, jus publicum dici & considerari posse vel ut totum quoddam, compositum ex omnibus legibus publicis, propriè ita dictis, & tum certum est, id proprium esse unius Reipublicæ: vel ratione partium, & in respectu ad singulas leges, ac tum illud proprium esse uni solum aut alteri Reipublicæ negandum esse judicamus: Quod si quis existimet, leges has, aliis communes, ideo publici juris esse dici non posse, quod non pertineant ad jus civile leges, quas non ipse populus sibi constituerit proprias d. §. 1. *infra*, de jure natur. gentium & civili, tum jam altera distinctione opus est, inter jus civile latè sumtum, quod complectitur totum illud jus, quo civitas utitur, ex naturalibus, gentium & civilibus strictè dictis præceptis, constans & strictè acceptum, quod non nisi leges civiles, ex mera populi illius constitutione tales continet. Ut aliquid sit juris publici Reipublicæ alicujus, necessè quidem est, ut sit juris civilis, sed latè dicti, non item ejus quod strictè solum acceptione tale est. Quæ ratione haud difficultè solvi posse

existimamus, quæ obijci possunt sententiæ, quam veram esse persuasi sumus.

VI

VI. Sunt levioris momenti reliquæ quæ aliqui opponunt. Quale illud est, quod in l. 1. §. 2. ff. de *justitia & jure & §. ult. inst. de justit. & jure*. de solo privato jure dicitur, quod collectum sit ex naturalibus præceptis, aut gentium aut civilibus. Bene subtilis Bachovius Comment. in primam Pandectarum partem ad hunc ipsam §. 2. l. 1. Equidem, ait, ex hoc loco id non potest solide colligi, cum in promptu sit dicere, iaco jus privatam, ita distributum, tunc quod in jure privato hæc res esset manifestior, tunc quod Ulpiano forte tantum de jure privato tractare propositum esset, cum & jus vetus publicum magna ex parte esset sublatum: Cæteroquin publico quoque juri hoc diviso non inepte accommodatur. In eandem sententiam Vinnius ad §. 4. instit. hoc tit. num. 4. scribit. Notat Justinianum Rudolphum Agricola lib. 2. de inventione Diaboliæ, quod duntaxat jus privatum ex triplici illo jure collectum dicat quasi hoc ipso negaret jus publicum ex eadem præceptis collectum esse. Sed hoc minime sequitur. Nam satis Justiniano visum, causam & originem indicaverat juris, de quo dicturus erat, nimirum privati, insuper habito an ex eadem præceptis etiam originem traheret jus publicum. Similia etiam apud alios passim reperias. Nobis hos adduxisse sufficiat, quod omnia scribant, quæ respondenda huic objectioni putamus.

VII

VII. Movet aliquos, quod vident mutari quandoque jus publicum, cum jus naturæ immutabile sit & dicatur §. 11. instit. de jure natur. gentium & civili. Confer. & Wesemb. ad digest. de justit. & jur. n. 14. Cæterum & prompta & certa est responsio, jus publicum non solum ex jure naturæ, ut principio, deduci, sed etiam agnoscere principia alia. Unde, quando evenit mutatio, ea non fit circa eas leges, quæ ex naturali ratione descendunt, sed circa alias, quæ ex hominum positione: haud secus, ac jus civile privatum eadem mutatur, quævis & illud collectum sit ex jure naturæ.

VIII. Manet ergo Principium juris publici esse jus Naturæ, ab eaque sententia non valde alienus esse videtur etiam Biccini in præloquio rerum quotidianarum th. 32. Quo loco, eum dixisset, leges fundandæ & administrandæ Reipublicæ quales non esse à natura dictatas,

dictatas. Subjungit in notis lit. o. ubi hæc explicat. *In jure publico omnino distinguendum esse inter principia & principata, ac illa non ad solum jus civile referenda esse monet.* Probat vero etiam satis aperte Dn. Johan Otto Tabor. *Selectarum questionum ad Wesembec. disput. 1. num. 6.* ubi exsertè scribit: *Materialiter nonnulla juris publici capita ex his etiam fontibus hausta sunt, non item formaliter & efficienter, quomodo multa juris natura & gentium capita integra per nudam approbationem in civitatem Romanam sumpta.* Qui autem agnoscit concurrere ad jus publicum naturæ jus ut materiam, idem fatetur concurrere illud ut causam; causa vero est principium, quod notum ex Metaphysicis. Idque concedit etiam Dn. Franzkius *Comment. ad instit. §. fin. de justitia & jure.* Licet, ait, & publicum jus principia sua suo modo a jure naturæ & gentium dependentia habeat, ne *Doctrinæ esse colendam l. ceteri 2. ff. de justitia & jure, communitatem per certos Magistratus esse regendam, non ideo tamen ita ut jus privatum ex naturalibus præceptis collectum dici possit.* quæ posteriora aliis explicanda; & nisi ratione modi intelligantur solum, etiam defendenda relinquimus.

IX. Quando autem de Naturæ jure omnibus sæculis ferissimè controversia, ne nostra quidem ætate desinunt: & vero de eo disquirere his temporibus tanto magis necessarium videri possit, quod eruditissimi nonnulli Gallorum, Anglorum, & aliarum etiam gentium scriptores non solum novas quasdam ejus indagandi rationes invenisse sibi visi sint, quæ & multis sese satis probant; sed eorum etiam aliqui id omnino nullum esse asserere non sunt, opere fuerit pretium, paulo altius repetita ejus doctrinæ origine, & investigatis diversarum Nationum ac Philosophorum non unius sectæ, sententiis, ad id demum pervenire, quod recentioribus sententiis in antiquorum doctrina mutatum. Unde non difficulter & id præparebit, firmo talo ea subsistant an minus.

X. Faciemus initium ab Orientalibus populis, & qui vicinas orienti regiones incolunt. Inter eos Ægyptii sapientiæ & reconditoris doctrinæ laude non ultimi. Sanè ea causa fuit, cur Pythagoras, Plato, Democritus, Eudoxus & è Græcis alii eo concederent, ut domum redirent doctiores. Vid. Diodorum *lib. 2. Jamblichum*

Michium de *mysteriis Aegyptior. in princ. Lactantium libr. 4. divi-
 narum instit. cap. 2.* Ac apud Herodotum, quidem ac Strabonem,
 & Diodorum etiam de jure naturæ ad Aegyptiorum mentem nihil
 reperias, quanquam alioquin leges civiles ac destinatas poenas in
 quædam naturæ jure prohibita apud Diodorium *lib. 2.* reperire sit.
 Neque aliquid ejus rei extat apud Jamblichium de *mysteriis Agy-
 ptiorum*, aut in *descriptione vite Pythagora* quo loco, quid ab Agy-
 ptis, acceperit ille, recenset. Hecataei autem de *Aegyptiorum Philo-
 sophia* opus, quod Lærtius in *Proœmio libri de vitis Philosophorum*
 memorat, quodque Viris doctis, Moralis eorum Philosophiæ placita
 Theologiam & jurisprudentiam complexum continuisse, non im-
 merito existimatur, ævi incuria intercidit. Quando tamen Pytha-
 goras ac Plato, qui Aegyptios Sacerdotes Præceptores habuerunt
 jus naturæ agnoscunt; idque ex ratione recta atque ejus dictato re-
 perunt, credibile est haud diversum quid à Doctoribus accepisse
 discipulos. Et verò Platonis illa distinctio legis, qua illam dividit
 in *Divinam, Cælestem, Naturalem & Humanam*, aliquid Aegyptia-
 cum sapit. Nempe Aegyptiorum Sacerdotes persuasi erant, præter
 mundum hunc sensibilem, & ea quæ in ipso sunt, esse alium intel-
 ligibilem, qui & hunc mundum exhibeat, & quasi producat & con-
 tineat res omnes, quales sunt in hoc mundo, adeo ut nullum hic
 animal, nullam plantam, nullam virtutem in inferiore orbe existi-
 marent, cujus non similis exstaret in superiori; quod eruditè pas-
 sim explicat Athanasius Kircherus è Societate Jesu, in eximio ope-
 re quod ante annos paucos sub nomine *Oedipi Aegyptiæ*, de uni-
 versis Aegyptiorum Philosophia edidit, ac S. Cæs. Majestati, Impe-
 perii Electoribus, ac Principibus aliis inscripsit. Acceperant ean-
 dem ab Aegyptiis doctrinam Plato & Platonici. Diferte Plotinus ex
 interpretatione Marsilii Ficini, *Enneadis sexta libro. 7. cap. 12. de
 mundo altero illo quem intellectualem vocas. Profecto, ait, cum con-
 sedamus hunc mundum, velut ad illius exemplar effingi, oportet illis
 quoque multo prius omnia animalia esse, atque si omnino perfectum
 esse ejus existit, esse cuncta. Ex paulo post, esse in eo terram quoque
 non vacuum sed multo magis ibi viventem, vitæque plenam, esseque
 in ea animalia omnia, quæcunque hic gradientia & terrestria nunc-
 pantur,*

pantur, plantis insuper, videlicet in vita fundatas &c. Similia repetit alibi passim: Vide eundem *Ennead. 5. lib. 7. cap. 1.* & ibi *Marf. Ficinum & Ennead. 6. libr. 4. cap. 2.* Quæ quævis, ita ut verba sonant accepta, falsa sint, quis utrisque tamen & *Ægyptiis & Platonis* credita, necessitatem iis inferebant agnoscentibus naturæ legem in orbe hoc sensuali, aliam quoque ei similem in intellectuall orbe agnoscere, quàm Cœlestem, atque cum intellectuall orbis non nisi accepta, à Deo virtute inferiora secundum ideas, quas ipse habet, ex eorum mente, producat, & tertiam Divinam fateri. De toto autem hoc negotio & quid veri habeat, infra ubi de Platonis sententia agendum, erit, dispiciemus.

IX. Atq; in genere quidem vix dubito quin de jure Naturæ vera IX quædam affectui sint homines in multis sapientissimi. Lapsos tamen & illos in varios errores eosque jure naturæ improbatos nimis ex Historicis est evidens. Illud de Apide & hircu pro Deo habitis apud *Ægyptios*, ac etiam de aliorum animalium, *Ichneumonis, Ibis, felis* cultu, apud *Diodorum, Siculum lib. 2.* & *Herodotum libr. 2.* quæ est à jure naturæ alienum ac ei adversum. Quin etiam ad porcum & capre porrecta veneratio, & ab his abstinere justæ manus quæ pia esse vellent, unde illud *Flacci jocosæ*, tanquam de impia cæde dictum:

Si porcum & capre trucidas.

Et alterius.

O sanctæ gentes, quibus hoc nascuntur in horticis.

Numina.

Atque hoc factum contra naturæ legem illustris docet locus *Sancti Apostoli in Epistola ad Rom. cap. 1. vers. 23.* & præced. Sed & in eo error est, quod, qui tantopere colebant animalia ea, etiam velent juris hujus naturæ perita. Eam enim sententiam sequi, qui *Metempsychosin & commutationem animarum inter homines & bestias* statuunt, ostendit ex *Porphyrio de abstinentia animalium lib. 3.* & *Sexto Empirico adversus Mathematicos lib. 8. cap. 101.* *Sed & Johannes Seldenus de jure naturali & gentium juxta disciplinam Ebraeorum lib. 1. cap. 5.* *Ægyptios* vero agnovisse *Metempsychosin* ex eodem *Diodoro lib. 2.* liquet, loco quo de *Apide* agit. Quin

imo

imo ab his dogma hoc accepisse Indos & vicinas gentes alias vult, & probare contendit passim Kircherus dictis ante libris. Caterum non invitandas in juris naturalis communionem bestias, deinceps ostendetur.

XII. Indorum quoque celebris ac in multis culta, & in plures gentes distincta natio. De eorum iustitia, quam summam fuisse scripsit, & moribus ac ritibus pluribus egerat ex antiquis Ceteris iis libris, quibus Indica persequebatur, ut quidem recenset Photius in *Excerptis*. An vero, leges solum positivas memoravit, quod facit & Diodorus Siculus *libr. 3. Historiarum*, an vero quid de naturæ præceptis senserint, adiecerit, nec ipse ait, nec affirmavit in præmissis. Herodotus quoque, & quod magis mirum, Philostratus descriptor vitæ Apollonii Tiani illorum de jure naturæ sententiæ non meminit, qui tam multa tamen alioquin curiosa de Indis & eorum Philosophia etiam, prodidit. Quando tamen naturæ in univèrsam magnam eorum sapientes exhibuisse reverentiam scimus, quod ex Mandanis Indi Philosophi ad Alexandrum in Oratione apud Strabonem *lib. 12. Geographia* cuius colligere integrum est, non existimandum est, neglectas ab illis esse, quas tales existimabant, leges, qui in omnibus naturæ parendum, nec vestigio ideo utendum, nec victu, nisi necessario arbitrabantur. atque imperfectam Græcorum Philosophiam quæ hæc negligeret, existimabant. Idem Strabo, ex Nearcho *d. 1.* ait, Indos legibus teneri alios quidem non scriptis & communibus, alios vero propriis, quæ ab aliorum legibus valde sint alienæ. Et agnosci ab illis rectum quoddam, quod non apud Indos solum tale sit, sed Romanos etiam, ac alias nationes, ex Pori Regis eorum Potentissimi ad Cæsarem Augustum litteris patet, ubi paratum se esse ait, in quibusvisque rectum fuerit, ei optulari, apud Strabonem *d. 1.* Accedat locus Megasthenis apud Clementem Alexandrinum, quem observatum debemus Johannæ Seldeno *de jure nat. & gens. lib. 1. cap. 2. p. 24.* quemque ibi latine vertit. *Quicquid ab antiquis de natura dictum est, docetur etiam ab eis, qui extra Græciam Philosophantur, veluti apud Indos à Brachmanis &c.* Sed & observari ab iis multa quæ nos juri naturali adscribimus, satis liquet. *De furtis glærum apud Eos silentium.* ait, *d.*

1. Strabo

I. Strabo, & alias eorum virtutes memorat *libr. 2.* quo itinera sua ac moram apud Indos, Gallico sermone iussu Christianissimi Regis Ludov. XIV. nuper explicavit Boullaye le Guz Andegavensis Nobilis: & consentit Johannes Albrechtus de Mandello, qui item sumtibus Serenissimi Holfatiz Ducis eas oras ante vicennium lustravit. An autem naturæ legi, an vero præceptis Ramæ, quem Magnum Legislatorem divinis præpmodam honoribus observant, ad cultum earum invitari se dicant, id quidem ipsi prætereunt. Quamvis nec incongruum sit utrumque simul esse, quomodo Christiani hæc præcepta colimus, tum Jure Naturæ tum Morali id dicantur.

XIII. Sunt tamen & in India gentes, quæ ea faciunt, quæ cum Juris Naturæ capitibus aliquot disertè fronte pugnant; atque ita quidem, ut prævalente impio more, nihil amplius turpe in actibus hujusmodi animadvertant. Herodotus *libr. 3.* Indos qui Calatiz nominantur *vesti* ait *parentibus*, atque invitantem Dariam, ut immanitate hac abstinere, *meliora ominari jubebant.* Idem eodem *lib. 3.* De Indis pecuariis quos & Padæos vocat, *Quoties*, ait; *etiam aliquis, aliquave agrotat, Virum quidem sui maxime familiares interimunt, quod dicant illum morbo tabescentem carnes ipsi corrupturum, & licet se neget agrotare, nihilominus isti non ignoscetes necant eum, epulanturque. Mulieri vero sua maxime necessaria idem quod viri viro faciunt. Qui autem ad senium pervenit, eo itidem mactato, pascuntur. Ideoque cum hac de causa, tum quia omnes qui in morbum incidunt, necantur, non multi sanè eorum ad senectutem perveniunt.* Hodie tamen secus esse, ac comburi in India cadavera omnia, narrat Mandello *libr. 1.* Itinerari Orientalis (*Morgentändischer Reisebeschreibung.*) *cap. 38. in fine.* Paulo post idem Herodotus, *Venere uti Indos in publico ait velut pecora.* Quod si verum sit (de quo dubitare ideo licet, non solum quod hodie nihil tale commemorent, qui eas gentes lustrarunt, sed & quod mox diserte Strabo d. l. *autorem esse Eratosthenem, plerosque qui de India scripsere falsa narrasse,* in jus naturæ eo peccatum dubio vacat. Cæterum & illud, quod sua sponte igni se tradant eorum Philosophi, cujus rei exemplum habemus Calanum apud Curtium & Strabonem

Strabonem *d. lib. 15, in princ.* & alterum, qui se Athenis combusit, cujus idem Strabo meminit, (quod hodie etiam recentibus exemplis indies probari tradit nuperrime Boullayus) ad legem Naturæ non magis congruit, quam illud, quod sceminæ, mortuo marito hodieque se igni, more, inter multas Indiæ gentes recepto, devoveant, ut unus idemque ignis, & mariti defunctum, & (quæ viva flammam ingreditur) uxoris corpus in cineres redigat, quod vidisse se Mandelsous testatur, ac historiam totam recitat *cap. 23-lib. 1.* idque etiam de Brachmanorum uxoribus idem asserit *cap. 38.* ejusdem libri in fine. Illud quoque quam juri naturæ adversum est? quod de illis memorat Boullayus, simiæ unius, quam à ministerio fuisse volent Ramæ, dentem, divino cultu persecutos, quemque ideo flammis, ne ultra ad idololatriam eo abuterentur, à Lusitanis traditum, frustra ingens pretium pro ejus redemptione offerentibus Indis, idem autor recenset.

- 19 XIV. Non longe ab India absunt Chineses, vel, ut verius alii scribunt, Sineses, Hi doctrinâ moralem & politicam satis accuratè persequuntur, Legem Naturæ agnoscunt, atque etiam rationis lumen pro juris hujus norma habent, quin & lumen hoc sollicitè excolunt. Nicolaus Lombardus è societate Jesu *litteris de 18. Octobr. 1598. ad Claudium Aquavivam, ejusdem Societatis Generalem p. 28.* Secundum Moguntinum exemplar: *Ut diligentius vacent, sit, contemplationi luminis naturalis & se ipsi reforment, revocando se ad primum statum, in quo, ut ipsi loquuntur, de cælo conditi sunt. magnificiunt secessum ad villas & loca solitaria. Quin coacto plurium literatorum cætu de Jure Naturæ sollicitè disquirunt. Unde, pergit, & in multis partibus floret quadam congregatio hominum literatorum, qui contemptis aulicis distractionibus, & oneribus gubernationis, tranquillam in suis ditibus vitam agunt, jam dictis exercitationibus dediti, & aliquando in unum locum convenientes ad instar Veterum Patrum in creta collationem inter se instituant. Imo quemadmodum Decalogus, excepto eo quod est de Sabbatho præcepto, nobis Jus Naturæ exhibet, utque id Ebræis facere cententur septem illa Noachidarum præcepta, ita illi sex capitibus ea definienda existimarunt, quorum tamen quinque priora magis specialia*
- 20

cialia sunt, sextum autem latius patet, sunt illa I. *Obedire Patri & Matri* II. *Revereri majores & superiores* III. *Pacificare proximos.* IV. *Institumere liberos & nepotes.* V. *Officio suo facere satis.* VI. *nihil mali agere, ut occidere alios, fornicari, furari, &c.* Atque, verba recito ejusdem Nicol. Longobardi ex Epistola ante laudata, *ne ullus obliviscatur eorum, qua facere debet in sui renovatione, præterque una cum lacte combibant bene vivendi præcepta & leges, confectum est Summarium Sex Præceptorum ab omnibus observandorum, quod voce viva publice commendatur, à certis hominibus mercede conductis, in singulis urbis plateis, idque decimo quinto quoquo die, nempe in novilunio & plenilunio. Ita fit ut eodem non solum tempore, sed etiam die uno, eadem hora, per totam Chinam, quantà est, per omnes plateas, dicta sex Præceptorum doctrina iradatur.* Atque in his quæ juris naturæ sunt explicandis, etiam versati doctrinam Confucii, (ipsi sua lingua proferunt Kum-fu-cu) qui Philosophorum apud ipsos, ut apud nos Aristoteles, Princeps est, ex Trigautii Epistolis anni 1610. & 1611. videre est. Similia passim quoque apud Scriptores Sincicos, *Martinum Martinium in Historia Sinensi, & Ferdinandum Mendæ Pino* Scriptorem Lusitanum, (qui Gallicè etiam hodie, Jussu Cardinalis Richelii versus, legitur) observari queunt. Cæterum quod scripsit Johannes Seldenus de *Jure Naturali & Gent.* lib. 1. cap. 7. pag. 90. *Personare quidem passim, è νόμος ἐστὶν λόγος ὁρθός: lex maxime naturalis est recta ratio, in quod unaminiens satis consentiunt, etiam qui de recta ratione immane quantum (sicut de gustu solemus,) interim dissident. Perinde ac si de mensura nomine quidem tenuis, veluti pedis ulna satis essent concordēs, de veritateque interea quantitate mire discrepantes, id in Sinensibus etiam manifestis exemplis patet.* Quod inter præcipua est Juris Naturalis capita, *Deum agnoscere & colere cognitum,* quodque toties ex naturali lumine solo monstrarunt cum Theologi tum Philosophi nostri. Vid. & Apost. in *Epist. ad Rom. cap. 1. vers. 19.* id illorum multi pro tali non habent. *Chinenses maximam partem sunt Athei,* ait N. Lombardus adducta ante Epistola p. 4. & repetit p. 30. & 31. *Chinenses Athei sunt, maxime literati, unde nihil etiam pendunt, sive colantur, sive non colantur Pagodi.* Ac deinceps, in summam nos ra-

pit ad mirationem, homines tanto judicio prados, literis tam egregie perpolitos, virtutum, omnisque honestatis tam amantes, in rebus, tanti momenti & tam perspicuis cœcutire, ut quod unus sit Deus opifex & gubernator cœli, &c. maxime cum hæc dogmata facile possint colligi etiam ex ipsorum libris & præcis traditionibus, & picturis. Similia tradit Nicolaus Trigautius literis Sinensibus de anno 1610. p. 4. 5. &c. passim.

XV. Atqui quod de naturæ lumen in præcipua hac parte suppressitibus, ait Apostolus, relinqui illos libidinibus & peccatis gravissimis. Eiusdem *cap. vers. 23.* id illis etiam factum apparet, qui eo cœcitate redacti leguntur, ut foedissimum turpissimæ libidinis crimen, non perpetrent solum, sed etiam pro crimine non habeant. Horrenda sunt, & Juris Naturæ extremè aduersantur quæ de utrisque & Sinis & Japoniæ incolis, apud Bernhardum Varenum in descriptione regni Japonensis *cap. 20.* ea de re extant, quibus similia ante eum scripserat Xaverius, qui nec Sacerdotes abstinerere infandis criminibus his notat, cum flagitii odium & horrorem ipsa sustulerit consuetudo. Quin admoniti à Christianis ipsorum Sacerdotes Bonzsis, ut à tam fœda libidine sibi temperent, risu & facilius objecta elevare conantur. quæ verba sunt Xaveri in Ep.

XVI. Atque partem etiam Judæi habitant, Gens Deo olim in deliciis: atqui his datam ab ipso rerum Moderatore legem, quæ & Naturæ præcepta continet, extra controversiam est, neque ea contineri hæc ipsi abnuunt. At quia & immixta Pentateucho alia, quæ civilia fuerunt, ac Reipublicæ ipsorum propria, ut difficile sit hominibus rudioribus, sæpe etiam doctis, ea invicem discernere, propterea, illa sibi seligenda existimarunt, ac illa quidem sibi propria, reliqua Noachidarum præcepta, ad quæ universum genus humanum obstringi voluerunt, dixerunt. Ex hoc jure Noachidarum descendere officia illa universalia & Philosophiam moralem, qua humanum genus, mox ab ipsis rerum initiis teneri, tum erga Deum T. O. M. tum invicem inter se docent. Vide Joh. Selden *lib. 1. de jure Naturali & Gent. ad Disc. Ebraorum c. 3. in fin.* De capitibus his Juis Noachidarum, altum est quidem apud Philonem Alexandrinum, & Josephum, silentium, qui græcè extant rerum Judaicarum Scriptores, ipsi Judæi: quamvis ipsius Juris Naturæ non unico lo-

eo mentionem esse apud Philonem in libris *de congressu querenda eruditionis gratia*. De *Nominum mutatione*, De *mundi opificio*. in primis libro *probum omnem liberam esse*, manifestum sit, ubi (verba recito latina Interpretis, ne bis repetendo eundem locum nimis excrescat dissertatio.) *vera, ait, lex recta est ratio, non ab hoc vel illo mortali mortalis, in lapide aut chartula inanima inanimis nata, sed ab immortali natura, in mente immortalis, impressa & inscripta*. Sed nec facile aliquid reperias apud *Mossem Ben Maimon Jurisprudentiæ Hebraicæ facile peritissimum*, quo illum elogio ornat *Buxtorffius in præfatione libro ejus More Nevochim præfixa*, (quique primus ex suis nugari desiit. *Scaligeri in Epistola ad Casaubonum*, ac *Casauboni in Exercit: contra Baronum Exercit. 16. num. 77. judicio*) saltem *in Doctore ut vocat Perplexorum More Nevochim ac Porta Mosi*, quam ante sexennium primus edidit & ex Arabico vertit *Eduardus Pokokius*. Parcè admodum dictis libris de *Jure Naturæ loquitur*, ita tamen ut id indicet verius aliquando, quam monstret. In capitulis octo præmissis *Commentario in Pirke, Aboth. p. 189. edit Oxoniens.* vertente *Pokokio*, agnoscit in homine partem rationalem qua distinguat inter actiones turpes & honestas, idque facere partem hanc, quando sana est, hoc est non corrupta sed bene se habens. addit p. 192. Atque sunt & alia in libro *More Nevochim* unde agnovisse illum naturæ jus colligere est. vid. part. 3. cap. 26. & 28. ferè in medio, ubi illud, subobscurè tamen indicat. Fortassis autem luculentius de toto jure hoc egit, volumine, quod inscripta *Yad, quo totum corpus Juris Hebraorum ex confuso &* 29. *intricatissimo ordine, è lingua impura & varia, in certum ordinem, lingua Hebraea, stylo facili & eleganti redegit*, quod *Johannes Buxtorffius filius in Præfatione More Nevochim*, memorat. Id opus nondum hæcenus latine versum, in Germania duobus majoribus in folio tomis possidet *Cl. Hottingerus*, qui subtilissime de pluribus juris materiis eis libris disserere *Maimonidem* proficetur, atque ex eo opere haud dubiè desumpsit, qua ex *Maimonide* hoc tam sæpè adducit, ad explicanda septem præcepta *Juris Noachidarum*, doctissimus *Seldenus*.

XVIII. Ex solis ergo libris Talmudicis fere quæ de commu- 26.

E. 3

nibus.

- nibus his præceptis Noachidarum, hoc est, hominum extra Judæos reliquorum omnium, supersunt, peti possunt, imprimis ex corpore Talmudico, quod in Jure Ebraico idem præstat, quod in Romano
- 27 Pandectæ & Codex. Seldeno teste *de Jure Natur. & Gent. cap. 2. p. 28.* Vid. et: Boxhorn. *Historia Universalis p. 209* Quemadmodum nempe Pandectæ nostræ ex variis collectæ juris peritorum scriptis, præferunt adhuc singularum legum autores, ita & illorum opus hoc, ex Rabbiorum nonaginta & unius judicii & decisionibus legalibus depromptum, (quorum nomina colligit Maimonides in edita & versa nuperrime à Pokokio *præfatione in Seder Zeraim*) in sex partes libros 60 & tit. 532, divitum est. Atqui ex his scriptis, nostro ac superiori seculo, tum alii Viri eruditi, tum imprimis Johannes Seldenus Anglus, eorum mentem scrutatus est, ac reperit quidem, Jus illud, quod *Jus mundi, ac præcepta filiorum, seu posterorum Noachi*, appellant, quodque cum *Naturali* idem esse judicant, definiit ab illis *septem capitibus*, quæ ipsi vocant *Illustriora*, & appendicibus deinceps aliquot, quæ *minora seu obscuriora juris naturalis capita* appellat. *Illustriora* exæquitur libri primi de Jure Natur. *Gent. cap. 10.* atque eorum primum esse vult de *cultu extraneo II. de maledictione Numinis: vel ut in ultimo opere de Synedriis libr. 1. cap. 2. vertit, de Blasphemia in Deum. III. de sanguinis effusione, vel Homicidio IV. de incestu, seu turpitudinum revelatione. V. de rapto seu furto VI. de Judiciis seu Regimine Forensi ac obedientia civili. VII. de membro animalis viventis non comedendo.*
- 29 *do.* hæc deinceps vero ita explicat: ut primo *Idololatriam prohiberi: Secundo etiam benedictionem divini Nominis contineri. Tertio homicidium illicitum, non etiam illud quod observat moderatam inculpata tutelam, nec supplicium quod exigitur ab eo, qui poenam capitalem scelere meruit, aut quod fit in bello justo, completi. Quarto etiam adulterium. Quinto omnignam alieni juris usurpationem, si dei ac pactorum violationem prohiberi. Sexto Indices, qui de his negotiis, si contra peccatum, jus dicant, exigi, ex mente Ebraeorum velit.* Vid. *passim lit. 2. & seqq.* Seldenum de *Jur. Nat. & Gent.* & brevius ea de re differentem de *Synedriis veterum Ebraeorum lib. 1. c. 2.*
- 30 Aliter hæc recensentes Filescum, Bolduccum, Genebrardum adducit,

ducit quidem, sed & confutat ut parum accuratos Seldenus dicit. *cap. 10.* Atque de toto negotio ita pronunciat esse ea sic explicata 31
& generatim ex avitis eorum scriptis depromta, Christiana Religio-
ni, Veritati Catholica & moribus, quibus utimur, adeo consona, ut
si unicum, quod est de membro animalis hætenus viventis, seu, ut vo-
lant etiam aliqui, itidem illud de esu sanguinis excipias, non omnino
ea dissona reperiantur lib. 1. cap. 2. p. 33. Quinimo plane ex his
fontibus jus naturæ deducere velle ipse videtur,

XVIII. Non contenti sunt Septenario hoc Judæorum aliqui, 32
vel saltē ita interpretantur, ut plura contineat. Sunt enim qui & san-
guinis esum lege universali) quæ ipsorum sententia cum Naturali
idem est (prohibitum dicant, in quam rem vide quæ ex Rabbi Cha-
nania Ben Gamaliel adducit Seldenus de *I. N. & G. libr. 7. cap. 1.*
p. 787. & seqq. sunt qui etiam Sabbathum Judaicum huc referen-
dum existiment. Sane recentiorum aliquot Judæorum opinione il-
lud juri Naturæ accenseri Petrus Galatinus, & alii monent, apud
Seldenum *libr. 3. cap. 13. conf.* Christ. Helvicum *Elench. Judo-
rum 6. § 2.* nec abluere videtur Menasses Ben Israël Rabbinarum
nostræ ætatis Princeps *libr. de Creatione Probl. 8.* Quin hanc sen-
tentiam Viri Doctissimi atq; inter eos Jacobus Gothofredus Crus
notis in opus Tertulliani ad nationes *lib. 1. cap. 13.* ex Josephi *libr.*
2. contra Appionem & Clementis Alexandrini libr. 5. Acroamatum
tuetur, neque aliter Desiderius Heraldus ad 16. caput Apologetici
Tertulliani. Cæterum plerisque Judæorum improbata utraq; hæc 33
opinio, quare & præcipui ipsorum Magistri septem his ut illustrio-
ribus præceptis contenti vivunt, quod de sanguinis esu ostendit
Seldenus libro de *Jur. Nat. & Gent. libr. 7. cap. 1. p. 787.* de Sabba-
tho *lib. 3. ejusdem tract. cap. 12. tot.*

XIX. De his septem autem ita sentiunt, cognita fuisse Adæ 34
primo Parenti & posteris ejus, beneficio rationis, illuminatæ tamen
specialiter vel à Numine & Angelo, aut Intelligentia, Ministro Nu-
minis. Rationem enim simplicem, ac quando non respicit alicujus
humana natura superioris indicationem sive auctoritatem, non suf-
ficere ad indicationem boni, malive natura & ex se talis. Intelle-
ctum ergo Adami & posterorum, ab Intellectu agente, qui vel Deus,
vel

vel Dei minister Angelus, aut intelligentia fuerit, illuminatum, bonum vel malum natura tale, etiam legem Dei esse, agnovisse & agnoscere. Atque hunc intellectum Activum non aliter rite intelligendi actum menti humanae, semper praestare, Iquam Sol ceu corpus lucidum oculo videndi actum: quae ferme summa est eorum, quae valde obscure differit Seldenus *cap. 7. 8. 9. lib. 1. de Jure Nat. & Gent. ad disciplinam Ebraeorum*. Caeterum sex prima saltem Adamo hoc modo, & ita distincte imperata volunt. *Selden. ex Maimonide libr. 1. de Jure Nat. & Gent. cap. 10. num. 19. & de Synedrüs Vet. Ebraeorum lib. 1. cap. 2. p. 10.* Septimum autem tum quidem fuisse supervacuum, quod ante diluvium carnis esum hominibus permittum fuisse agnoscere nolint, quod cum permetteretur deinceps Noacho & Posteris *Gen. 9. vers. 3. 4.* id eliciunt ex interdicto carnis cum sanguine esu: quamvis hac ratione, si rem spectes, ne illud quidem Adamo recentius erit, quin potius fuerit tum primum saltem exceptio Juris illius edendi carnem, quod Noachi posteris permittum arbitrantur, quomodo id observat etiam Seldenus *de Jure Nat. & Gent. libr. 7. cap. 1. p. 788.*

32

XX. Sed & poenas in Violatores septem hujusmodi praceptorum acres, & ipsi constituere Ebraei, & constituendas aliis gentibus arbitrati sunt. Idque ipso exigente Jure Naturae secundum ipsorum mentem, quod Judicia quibus animadverteretur in Iones hujusmodi requireret. Unde capitis poena semper expiarunt in Noachidis ditioni ipsorum subjectis violationem unius ex septem his praecipis, si tamen contra verba ejus expressè fecisset; Ac sufficere adeo in hujusmodi negotio unum judicem existimarunt, cum in capitalibus alioquin Judiciorum causis non pauciores essent illi quam viginti tres. Neque aliud violatori legis hujusmodi, quam gladii supplicium expectandum erat, quo nullum ex Disciplina Judiciorum torpius mortis genus fuisse Seldenus persuasum habet de *Jure Nat. & Gent. lib. 7. cap. 6. in fin.* Caeteris tamen gentibus, sui juris, fas esse judicabant, sive ultimum supplicium, sive poenas qualescunque leviores sancire. Quin Judaeis ipsis capitale non erat contra quodcumque praceptorum horum peccasse, sed saltem Noachidis apud ipsos viventibus, in quos severior statuta poena. Judaeus

dzus enim, si contra tria posteriora peccasset, capite non plectebatur, sed compensatione damni, pœna dupli, quadrupli, quintupli vel verberibus. Reliqua vero ipsi capitalia ita erant, ut gladio tamen propter solum homicidium plecteretur: propter reliqua, strangulatione, lapidatione, &c. quæ honestiora mortis genera arbitrabantur. Neque solum temporali in hac vita pœna, qui contra hæc peccarent præcepta Noachidas, plectendos existimabant; sed & alterâ post hanc vitam; Cum interim qui hæc observassent, iis, ut piis ex Gentibus partem in futuro seculo tribuerent. Quæ omnia fusè adductis Rabbīnorum ac Juris peritorum Judæicorum autoritatibus probat Seldenus de *Jure Nat. & Gent.* lib. 7. *passim* in primis *cap. 5. 6. 10.*

XXI. Præter illustriora hæc septem juris hujus capita, addunt & alia Judæi, quæ Minora vel Obscuriora vocant, eorum vero nec numerum certum, nec certas de iis extare sententias, monet rerum hujusmodi peritissimus Seldenus de *Jur. Natural. & Gent. lib. 7. cap. 2.* Alibi tamen ejusdem *libr. 7. cap. 3. in fin.* ex Gemara Babylonica triginta præcepta memorat, quæ Noachidæ in se susceperant. Unde facili calculo minora hæc præcepta illos agnovisse, concludere quis possit. Sed quando tamen ipse addit, nihil sese certi ea de re hætenus comperire potuisse, neque ego numerum eorum hic definire velim. Id expeditum est, in duas Classes hæc præcepta ab illis dividi, ita ut alterum genus sit eorum, qua Majoribus & Illustribus ita cohercent, ut illa vel præcedant, vel necessaria sequantur, quæ & appendices eorum vocant; quò referunt Multiplicationis generis humani, & Matrimonii, Dominii etiam jura, ac pœnarum modum in judiciis. Ut hac in parte fere eandem differentiam esse velint inter præcepta illustriora & obscuriora hæc, quam nos observamus in Naturæ legibus, quarum aliquæ principia sunt, aliquæ principiata. Alterum vero præceptorum aliorum, quæ priora nec præcedunt, nec necessario consequuntur. Talia esse videntur hæc: Ne commisceantur invicem & committantur diversi generis animalia, neve arbores diversi generis inferantur, ne vel homo vel animal quodcumque castretur: (quæ præcepta etiam inter septem illustriora numerant) **Juri Hebræorum**

bræorum aliqui) & ejus generis alia, de quibus primus è Christianis Scriptoribus egit doctissimus Seldenus, opere de Jure Nat. & Gent. cap. 2. & 3. *integris*. Cæterum obscura hæc vocant, non ratione objecti aut finis, sed quia in Profelytorum domicilii, ut vocabant, professione, non hæc, sed septem illa exigebant, neque eorum violatio omnino plecteretur in Noachidis, qui continebantur ditione Israëlita; nec de iis cognoscebat tribunalium aliquod, ex Maimonide Seldenus dict. *lib. 7. cap. 2. num. 6.* quamvis talia hæc esse agnoscerent, propter quæ violata capitalem vel aliam pœnam constituere possent, aliz sui Juris gentes. Idem Seldenus *d. lib. 7. cap. 5.*

41 XXII. Non possunt autem, hæc Judæis de Jure Naturæ prædita, exactam ejus dignoscendi normam præstare, (quicquid etiam Seldenus sentire videatur.) sive enim illorum sententiam, qui his præceptis addunt esum sanguinis prohibitum, & Sabbathi observationem, eo die quo Judæi id colunt, ad examen vocemus, pro Jure Naturæ hæc haberi nequeunt, ac utrumque & Theologi & Jurisperiti nostri, juris naturalis esse rectè negant. *Quamvis enim exeat etiã*

42 Apostolicum decretum de non edendo sanguine Actor: 15. *vers. 28. & 29.* idque anxie apud Christianos veteres observatum ex antiquitate ostendat Hugo Grotius in *florum sparsione ad Iu. Justin. p. 340.* ut botuli sanguine distenti tentamenta essent Christianorum. Unde & gravis adhuc illa infecutis seculis in eos comminatio, qui sanguinem in cibos verterent, ut & *bonorum publicationi subjiciantur, & acerbum in modum flagris cadantur, & perpetuo Patria exilio multentur. in Nov. Leonis 58.* Et libri pœnitentiarii scripti ante annos quadringentos, pœnam adhuc imponant contra facientibus; atque ideo & ex aliis rationibus, ante biennium adhuc, Stephanus Curcellæus Diatribam suam *de esu sanguinis inter Christianos*, publicæ luci exposuerit, qua ostendere conatur, ab ipso rerum ortu ad hanc usque ætatem prohibitum fuisse sanguinem comedere: quod & hodie ita persuasum habere Græcos, Moscos, Abyssinos, & Maronitas *cap. 13.* tradit, ac

43 Grotium ibi, *Salmasium, Vossium, ac Blondellum* pro sua sententia laudat: rem tamen secus se habere ac legem hanc *Act. 15.* positivam

vam esse saltem, non Naturalem, ideo latam gentilibus, ne aver-
sarentur fideles è Judæis conversi, cæteros quos sanguine alioquin
ante legem hanc sine discrimine vesci viderent; & sublato adeo
impedimento, è Judæis & Gentibus una coalesceret Ecclesia, no-
stris merito probatur. Unde quamvis duraverit aliquandiu ea lex,
cessante tamen ejus causa, ipsa quoque cessavit, idque jam Augu-
stini ætate, cujus in hanc rem egregia sunt, & plane cum verâ sen-
tentia congruentia verba 32. *contra Faustum* c. 13. quæ vide om-
nino. Confule & Georg. Calixti *Epitome Theologicum Morale* p.
88. Ac ne ipse quidem Maimonides sanguinis prohibitionem jure
Naturæ, sed aliis ob causis factam credidit, easque indicat in More
Nevochim *part. 3. cap. 46. p. 484.* Neque magis Sabbathum ad
ad Jus naturæ spectat, ut ex erronea loci Josephi interpretatione
crediderunt etiam eruditi Viri aliqui: quod ita dilucide multis ca-
pitibus de *Jure Nat. & Gent. cap. 9. 10. 11. inprimis 12. & seqq. ad*
20. usque ostendit Seldenus, ut addi non multa possint. Conferri
possunt, qui de Sabbatho occasione Controversæ hujus scripse-
runt, Thomas Brodeus Anglus, Johannes Coccejus in Indagatio-
ne Naturæ Sabbathi, & quietis Novi Testamenti. Atque nuperrime
ipse etiam Andreas Essenus Dissertatione de Perpetua morali-
tate Decalogi, adeoque specialius etiam Sabbathi, qui morale id
præceptum ita esse vult, ut tamen non sit juris naturalis, sed divini
positivi, quod libenter & ultro se agnoscere scribit. p. 85.

XXIII. Neque magis ad hæc Judæorum præcepta, ut regulam, 44
examinare Jus naturæ integrum erit, si septem illa illustriora ca-
pita saltem pro legibus Naturæ habeamus. Considerari quidem
possunt illa tripliciter, primum ut verba sonant, quomodo illa ac-
cipiebant Judæi, quando propter eorum violationem, pœnam ca-
pitis dictabant Noachidis; vel ut explicantur à Talmude & Talmu-
dicis quibuscunque; vel demum ut à Seldeno & selectioribus eo-
rum. Prima consideratione facile patet, pro Regula Juris Naturæ
haberi non posse. Quam multa enim quæ juris naturæ sunt, omit-
tunt? ac illud de prohibito animalis viventis elu addunt, quod
scimus non esse jure naturæ vetitum, neque id diffitetur Seldenus
lib. 1. cap. 2. p. 33. Altera vero consideratione etiam minus pro tali 45
haberi

haberi queunt, quod ex eodem Seldeno non difficile mihi video
 conficere posse. Capitum enim horum, *ex eorum traditionibus sum-
 pte interpretationes subtiliores, partitiones, negotioseque scrupulosi-
 tates, tametsi sepius quidem Christiana religione & rationi, quam se-
 qui solemus, aut consona sint, aut non adversa, subinde nihilominus
 sunt, uti & alia apud Ebraeos non pauca, planè dissona, nec à Viro
 Christiano admittende, ut ipse loquitur. d. p. 33. Unde & in decre-
 to anni 1563, in literis Apostolicis Directorio inquis. sub nexis fol.
 20. Inquisitores à Julio III. Pontifice constituti, de corpore ipso Tal-
 mudico non vane pronunciant, adversus Naturæ & honestatis le-
 ges ea ibi concedi, quæ humanæ aures audire perhorrescunt, & agno-
 scit Seldenus effectum esse interpretationibus his, ut permitti sint
 46 concubitus nonnulli nefandi, & incestus contra naturam. Sed nec
 tertia consideratione v. ideo quomodo admitti pro norma hac pos-
 sint. Nam ne sic quidem deest illud de membro animalis viventis, &
 desunt quæ deesse non debebant: quale illud, Honorare parentes, &
 alia. Sed & quædam juris merè civilis, multa quæ nec juris naturæ,
 nec positivi amplius sunt, illa habet explicatio, quod ex toto Seldeni
 opere à lib. 2. ad 7. usq; apparet: ut trium eorum modorum nul-
 lus pro iis haberi possit, quæ accuratū jus naturæ contineat; quam-
 vis ejus capita quædam potiora attingant. Neq; v. etiam quis con-
 jungat majoribus his & illustrioribus præceptis etiam minora, rem
 confectam dabit. Sunt n. illa, Seldeno ipso teste, incerta admodū,
 non solum quo numero sint, sed etiam quid sint. Selden. *de jur. na-
 tur. & Gent. l. 7. cap. 2. in princ.* & quæ ipse commemorat, magnam
 partem, utpote *de diversi generis animalium admisione, & de diversi
 generis arborib. non inserendis*, à Christianis Theologis & Ictis pro-
 talib. minime habentur. Sed neq; ipsi quidem Judæi ea in Profely-
 torum domicilii professione exigebant, neque propter eorum vio-
 lationem in judicium vocabant. Noachidas quod *dicit. cap. 2. tradit*
 Seldenus. Unde vix serio existimare potuerunt, eorum violatione
 47 in naturæ legem peccari. Aliarum Asiaticarum, Africanarum etiam
 & Americanarum gentium de jure naturæ generales sententiæ, vel
 peculiarem & accuratam observationem, non merentur, vel nobis
 non innotuerunt hæcenus, præcipue cum recentiores etiam Lusitanorum,
 Anglorum & Belgarum, qui earum gentium mores dili-
 gentius*

gentius lingua sibi vernacula explicant, descriptiones, unde fortassis aliqua depromi possent, magnam partem, dum hæc scribo, ad manus non fiat. Unum tamen illud adjiciamadhuc de novæ Belgicæ incolis, quam Provinciam ad 44. gradum à Meridionali puncto versus occidentem, nostro seculo, cum incognita esset hæctenus, repererunt Belgæ, ac Belgarum lingua anno 1655. primus non negligenter descripsit Adrianus van der Donck, J. U. Doct. qui ibi per novennium integrum vitam exegit. Is ergo pag. 74. memorat, adeo populos hos colere naturæ & gentium jura, ut præter hæc alia civilia vix agnoscant; ut verum de illis sit, quod de Germanis antiquis dixit Tacitus, *plus ibi posse bonos mores, quam alibi bonas leges*. Fidem & contractus servare, incestus, furta, vitia alia, pro naturæ, & ejus legibus adversis (quamvis pleraque nulla expresse lata lege pro talibus declarata) habere tamen, atque exprobrare Christianis (quando ea etiam disertè iis vetita audiunt) cur tam multa contra admittant, cum ipsi minus peccent, sola naturæ lege prohibente quam illi, utraq; & naturæ & morali lege vetante, vid. p. 73. & 77. Atqui quod mirum est, observant magis illi naturæ jura, quam Europæ gentes, (ut quidem ille memorat) licet nulla in multis ejus capitibus, si contra peccetur, constituta pœna, ut docet Donkius pag. 73. solum enim homicidium mortæ plectitur, idque non à Magistratu, sed consanguineo, qui occisum proximè sanguine attingit, idque tantum intra 24. horas proximas, post quod tempus nonnisi pecunia expiatur, vid plura apud Donkius, *capite de bello & armis eorum*, pag. 72. *de justitia & pœnis*, p. 73. *de naturæ & gentium jure*, p. 74. & seqq. *capitib. de Regimine, Politia & Religione eorum*.

XXIV. Adderem & exempla gentium nonnullarum, quæ circa singulas naturæ leges lapsæ, varia in contrarium designarint, sed quando labore eo nos liberavit industria G. Calixti in *Epit. Theologiae Moralis*, n. 49. usque ad 59. (qui id, collectis ex omni antiquitate, & recentioris etiam ævi exemplis plurimis, sequitur: cui addi potest Johannes Eichelius libro quo explicat obligationem quam ex præcepto naturæ parentes liberis, & hi illis vicissim debent *thes. 4* & Seldenus *de jure nat. & gent. lib. 1. cap. 6. pag. 79. & seqq.*) operæ hujus fieri potest compendium. Atq; transemus adeo ad proximum

50 caput, quo quid ex reliquiis antiquorum Græciæ Philosophorum ad
 jure hujus notitiam repeti possit, quantum quidem per temporis an-
 gustiam licet, ex eorum monumentis disquirere animus est.

COROLLARIA.

*Cum superessent pagina aliquot, neque addi
 possent huic primæ Dissertationi, propter necessarium Dn. Respon-
 dentis iter, quæ supersunt tria de Jure Naturæ Capita, secunda
 Exercitationi servanda, visum fuit, Corollariis non-
 nullis, illud charta quod reliquum erat,
 complere.*

I.

Germanum esse Carolum Magnum multi Scriptorum juris publi-
 ci, cum Dn. Limnzo *libr. 1. cap. 5. num. 5.* inde probant, quia
 in Constitutionibus & Imperii Recensibus, ~~Caesares~~ Germani, illum
 appellant *ihren Vorfahren am Reich / Reformation Friderici III. de
 anno 1442. tit. von den heimblischen Gerichten / N. A. zu Augspurg/
 de anno 1530, diemellen auch die Wilsdnus / etc. sed vereor, ne qui huic
 argumento vim inesse credunt Justinianum etiam faciant Germanū:
 & illum senim Maximilianus I. Imper. in Königtlicher Sagung von
 der Gotteslesterung de anno 1595. eodem modo vocat unsern Vor-
 fahren am Reich / Is vero in Illyrici urbe Taurisio natus est, ut sci-
 mus ex Procopii *libr. 4. de Edificiis Justiniani*, confer. Agathiam,
libr. 5. ubi tamen falso, illum Boderinæ, civitate vicina Taurisio,
 natum asserit, qualis urbs (nisi pro Boderina legendum sit Bederina,
 ubi præsidium fuisse Procopus tradit) nulla fuit in Illyrico.*

II.

Haud dubie probari nequit Electorum Originem referendam
 esse ad tempora Ottonis III. quæ vera est *Aventini, Theodorici à
 Niem, Johannis Stabii, Onuphrii Panvinii, ac Hermannii Convin-
 gii sententia.* Neque nos movent, quæ integro libello in adversum
 disceptat Simon Schardius Ictus alioquin eruditissimus, & Imperia-
 lis Camerae Assessor, III. Fal-

III.

Falluntur, qui existimant jus naturæ nullum esse, nisi quod refertur ad societatem humanam. Sunt enim naturæ leges, quæ hominem etiam extra societatem viventem obstringunt, & obstrinxissent etiam, si nulla unquam fuisset societas: quæ illud, Deum colere, &c.

IV.

Credunt plurimi, non posse probari jus naturæ à priori; sed eos falli, & certa demonstratione eaque à priori id ostendi posse putamus.

V.

Non prohiberi virum honoratum occidere eum, qui ipsi alapam impingere nititur, existimant quidem, Azorius *Institut. Moral. part. 3. libr. 2. pag. 105.* Lessius *de Iustitia & Jure, libr. 2. cap. 9. dub. 12. num. 77.* Filiucius *Theol. Moralis, tom. 2. tractat. 29. cap. 3. num. 50.* Becan. *in summ. 3. part. tract. 2. cap. 64. de homicid. quest. 8,* ubi Sotum, Silvestrum, Navarrum, Lopez, Gomecium ac Julium Clarum pro hac sententia laudat, quam nuperrime adhuc tuetur Escobar *Mor. Theol. tract. 1. Exam. 7. cap. 3. in praxi societat. Iesu, n. 47.* atque etiam eo extendit, *n. 49.* si quis saltem ei dicat *Mentiris,* vel simile quid: Quomodo & sentiunt recentiorum Moralistarum, ut vocant, alii. Sed neque Escobarii ratio, quia *maximum in aliquibus regionibus dedecus est, alapam vel injurias sine vindicta relinquere.* Neque ille Filiucii & Becani, *quod sicut licet Invasorem occidere ad defendenda bona temporalia: ita & multo magis licere debere ad defendendum honorem,* id licitum & extra pœnam esse probant. Et contrarium rationi & juri magis convenit, *vid. artic. 14. ordinat. crim. Carol. Carpozov. part. 1. pract. crim. quest. 30. num. 3. 4. & seqq. & ibi num. 39. præjudicia Scabinorum Lipsiensium.*

VI.

Falsissimum est, quod post P. Bauny in Tractatu Gallico *Som. des pech. pag. 213.* tradit Eradus Bilius, è Societate Iesu Professor Casuum conscientie in Academia Cadomensis, *Tract. de injur. & Restit. cap. 5. de Compensationibus occultis. Famulos & ancillas posse.*
per.

per modum compensationis occulta clam aliquid surripere de bonis herilibus ob stipendium inaequale suo labori & obsequiis, & inique compensationem saepe non magis culpabilem esse, quam aliorum creditorum: atque hanc esse communem Doctorum sententiam. Quod extendit cum Sanchez, in consult. 1. dub. 7. ad factores ut per modum compensationis occulta retineant, è panno ex quo vestes conficiunt, segmenta residua, non tantum modica, & qua pro derelictis habentur, sed alicujus momenti, quando coguntur mercedem minorem iusto accipere, propterea quod alii factores communiter spe similis compensationis non pluri locent operam suam. Et reprehendit Sanchez, quod non præterea etiam permittat, famulis sartorum, ut eadem compensatione utantur contra heros, in re non absimili. Atqui inde merito in causa Johannis de Alba, Lutetiae Parisiorum, anno 1647. non obstante hac exceptione, quod à Præceptoribus Jesuitis nonnullis, accepisset id licitum esse, neq; adeo furtum, Dn. de Monterubeo (Mons de Montrouge) censuit, hanc doctrinam divinæ & naturali ac humanæ legi contrariam, ac fovendis domesticis furtis accommodatum, ac ideo Johannem de Alba (qui ipsis Præceptoribus & dominis suis Jesuitis, apud quos in Collegio Claremontano, Correctoris munere fungebatur, abstulerat vasa aliquot stannea) virgis ante fores Collegii publicè à carnifice cædendum, Doctorum autem ejusmodi scripta palam cremanda, & ipsis ne unquam ququam simili doctrina imbuant, sub pœna capitali interdicens esse. Atque rectè itidem Baunii doctrinà hæc anno 1641. à Parisiensi, & deinceps Lovaniensi Facultate condemnata fuit.

CAP. IV.

SECT. I.

Europæarum gentium de Iure Natura sententia inquiruntur, & primo Græcorum 1. Scilicet Italica. 2. ejus auctor creditus Pythagoras 3. Scripta Pythagora. 4. ex iis, ut & Ocello Lucano nihil de Iure Natura promi potest 5. quædam de Iure Natura ad Pythagoreorum mentem ex Iamblichio. 6. Modus indagandi Ius Natura Pythagoreorum. 7. Hieroclis locus egregius, unde, quid de Iure Natura senserint illi, apparet, & consensus eorum hac in parte cum Scholasticis. 8. Sententia Pythagoreorum de Iure Natura, bestiis cum homine communi. 9. cuius fundamentum Metempsychosis. 10. Consensus Ægyptiorum, Indorum, Sinesium, Gallorum in hac opinione. 11. Linscoramus, Mandelsion, Trigantius corriguntur, quod Indos à Pythagora didicisse Metempsychosis scribant. 12. Ius Natura bestiis commune faciunt qui rationem in illis agnoscunt, quales præter antiquiores Philosophos, Galenus, Quinsilianus, Lactantius, Albertus Magnus, Telesius, Rorarius, Pasquierius, Charron, Dn. de la Chambre, ac aliquando Cl. Salmasius, & alii. 13. Ius Natura in bruta cadere videntur etiã patres aliqui credidisse. 14. Ambrosii, Lactantii, Hieronymi, etiam Cassiodori, Guilielmi Alverni, quædam in eam rem. 15. Icti veteres quoque & recentiores multi pro eadem sententia. 16. quid Ulpiano ac Justiniano de hoc negotio visum. 17. Bacchovius & Vinicius ad nimis paucos restringunt numerum Ictorum ista sententiam. 18. Icti Orientales aliqui quid docuerint ea de re. 19. quid multi recentiores. 20. quàm in diversa eant. Icti, qui Ius Natura commune brutis esse existimant, eorumque quatuor distincta sententia. 21. Ius Natura non cadere in bestias probatur. 22. respondetur Mastertio & Ungebau, qui vim argumenti primi infringere nituntur. 23. Consensus in hanc sententiam Ebraeorum, Græcorum, Theologorum, Ictorum, Philosophorum. 24.

G

Lex

Lex & Jus quando à bonis scriptoribus brutis & inanimatis tribuuntur, id sit valde improprie. 25. bestia an puniantur aliquando. 26. ex sacris literis, Maimonide, Iure Wirtembergico, Praejudiciis Facultatis Iuridica Tubingensis, Scabinorum Lipsiensium, Iudiciorum aliorum, videri posse puniri quandoque bruta. 27. ostenditur non poena rationem habere, si quid propter damna illata, aut delictum ab homine cum eis patratum, patiuntur bestia. 28. & exemplis ac rationibus evincitur. 29. licet Jus Natura in bestias non cadat, ad gravitatem tamen delicti facit, si homo peccet contra ea, à quibus inclinatione Naturali abhorrent bruta. 30. Expectatio de Philosophia Pythagorica Iohannis Schefferi, & Democratica Petri Borelli. 31.

1. **V**idimus nonnullorum ex Oriente populorum sententias, rependa hoc capite est EUROPA & ex ea primum vicina Orienti
2. GRÆCIA, Philosophis antehac maximis celebris. Inter eos, ex ITALICA quidem SECTA, cujus memoria superdit, primus PYTHAGORAS. Quamvis n. antiquior eo celebretur Pherecydes Syrus, Pythagoræ præceptor, ut est apud Diog. Laertium *de vitis Philosophorum lib. 1. non longe à principio, & Ciceronem Tusculanarum questionum, lib. 1.*
3. Ipse Pythagoras tamen, Italica hujus sectæ autor nominatur Laertio: & de Pherecide unicum illud fere saltem constat, docuisse illud immortalitatem animarum, quod dogma ipsius servavit Cicero *d. 1.* Floruit Pythagoras Olympiade sexagesima, & deinceps, fere eo tempore, cum apud Romanos penes Tarquinius Superbum, apud Persas penes Cambysen, apud Ægyptos penes Amasin, regnum esset, seculo sexto ante Nativitatem Salvatoris nostri. Et Pythagoræ ipsius opera Laertio *lib. 8. in vita Pythagoræ* memorata, *de Natura, Civilitate, & Institutione*, nostram ætatem non attigerunt: ut hinc quidem nihil subsidii sit. Ex Pythagoreis superlunt præcipui: Ocellus Lucanus ejusque libellus *de universi Natura* (cujus ex MSS. libris egregiam editionem non ita pridem adornavit Carolus Eminentissimus Vizzanus Bononiensis) Aristoteli etiam laudatus, Jamblichus Descriptior *vita Pythagoræ*, & aureolus, sed rarissimus libellus Hieroclis, quo commentatur *in aurea Pythagoreorum carmina*: quibus &

accen-

accipere potest, qui velis, Laertium *dict. l. 2.* Et ex Ocello quidem nihil, quod pertineat ad indagandam Pythagoreorum de Jure Naturæ sententiam, hauriri posse video. Quamvis enim præter Physicæ, postremâ sui parte etiam Ethicæ attingat quædam, ea tamen omnia circa unam occupantur temperantiam, & prolis legitimæ susceptionem. Libellus autem ejus de legibus ad Pythagoreorum mentem, quem tanti fecit Plato, (de quo vide. Carolum Emmanuelem Vizzanum in *Prolegom. in Ocellum*) ævi injuriam sensit. Jamblichus vero observat, præcipua Pythagoræ studia fuisse, de legibus accuratius quædam deservere. Unde & Pythagorei omnium optimi deinceps fuerint legislatores; & commemorat inter eos Charondam, Zaleucum, Timaratum, Aristocratem, Theætetum, Phytium, & alios, vide eum in editione Johannis Arcerii Theodoretæ, *cap. 27. pag. 122. & cap. 30. pag. 154.* Sunt autem optimi legislatores, quorum leges proximè ad Jus Naturæ accedunt. Ut adeo id ab illis sedulo excultum dubitandum non sit.

II. Originem Juris Naturæ Deo Pythagoram adscripsisse *cap. 18.* docet Jamblichus. Ubi simul habes modum, ab eo traditum, inveniendi quid sit juri naturæ congruum. Enim vera (ait Jamblichus ex Arcerii versione) *conjecta, qua de eo quid vel faciendum, vel non faciendum sit, discernunt, ad celeste lumen collinearunt, atque hoc incipitum est, ut universa vita ratio composita & instituta sit ad Deum sequendum. Atqui hic sermo est. Hac Philosophia sunt. Ridicule n. homines faciunt, qui aliunde, quod honestum est, quodque rectè sit, quarunt, quam ab ipso Deo; & post pauca, quia DEUS est, & ipse omnium Dominus, in confesso est, quicquid bonum & honestum est, ab ipso Domino petendum esse.* In virtutum divinarum imitatione ergo naturæ legem ponebat. Sed & sunt in Jamblichæ *cap. 13.* vestigia ejus sententiæ, quam Pythagoræ & Empedocli, ex Sexto Empyrico & Porphyrio tribuit Seldenus de Jure Naturæ, *lib. 1. cap. 5. pag. 63.* & ex eo Hugo de Roy de eo quod justum est, *tit. 2. n. 6. de Jur. & Inst. hominum brutorumque communi;* ibi enim & bellas justitiam docuisse Pythagoram, tradit.

III. Hierocles, in egregio illo, quem diximus, Commentario, Pythagoræ mentem eximie explicat. Ex quo autore satis patet, in

multis convenire cum Scholasticorum doctrina Pythagoræ dogma. Ad primum verſum Pythagoræ carminis de lege, cuius ibi eſt mentio. Lex (ait) *quidam mens eſt opifex, (ὁ δὲ μίονος γυνὴς νόμος) ipſaq; voluntas divina, qua omnia perpetua producit, ſemperq; conſervat* quod vix aliud eſt, quam quod Patres & Scholastici ac alii, dicunt Legem Æternam. vid. Auguſtin. *lib. 1. de lib. arbit. c. 6. Thomam 1. 2. q. 39. art. 1. Meisner. de legib. l. 2. q. 1. pag. 88.* Sed eo modo etiam deinceps in iis, quæ ſequuntur, diſſerit: *Legis nomine inmutabilis DEI opificis altio venit, à qua divina genera producuntur, & que in perpetuum, nullaque facta mutatione, ordinantur.* De Lege Nature pulchrè ex Pythagoreorum mente quædam tradit pag. 170. & 171. quem locum, quod in præciſſimorum manibus ſit Hierocles Philoſophus, integrum dabo, verſum tamen ſolummodo, quod prolixior eſt. *Socratis illud imitemur, quo ſe dicebat nulli ſuorum poſſe aſſentiri, niſi rationi, que recta monere viſa eſſet. Suis verò noſtra, non autem nos, omnia illa, qua ad rationis miniſterium data ſunt, ira, cupiditas, ſenſus, corpus ipſum, quod instrumenti vice facultatibus iſtis in uſum conceditur, quarum nulli decet credere, ut ait, niſi recta rationi; id eſt, parti illi ratione prædita, qua ſecundum naturam ſe habeat: poteſt enim & illa perſpicere que dicere & facere conveniat. Eſt vero idem rationi parere atque Deo. Natura enim, qua rationis eſt particeps, cum ſplendorem ſuum ſuamque lucem ſortiſta eſt; ea ipſa amplectitur, que divina lex ſtatuit, nec diſcrepat à DEI ſententia animus, qui ſecundum Deum ſe habeat, ſed divinitati atque ſplendori intentus, ea facit, que facit. Atqui hinc eſt, quod paſſim, Naturæ leges etiam divinas nominet (τὰς θείας νόμους) quin hæc leges ſuſcipere vult rationem, que hoc modo ſibi efficiatur vigilantiffimus iudex: & ſibi etiam, pro Meſura naturalis huius officii, expreſſe ſumit τὸ κενὸν αὐτὸν conſcientiam ipſam.*

IV. Id tamen in Pythagorica de Jure Naturæ ſententia, præcipuè cenſuram meretur, quod beſtias quoque ad conſortium Juris Naturæ admiſerit, ut vidimus ante: putabat enim hæc conſequi Metemphychoſim, quam ſerio ille ſtatuebat; neque enim (quod aliquibus videtur) fabula eſt, vel commentum Pythagoræ tributum. Quam cum crediderint etiam *Ægyptii*, ac, quod maxor, è Judæis, (hæc ſunt,

sint, qui id in dubium vocent eruditorum aliqui) Pharizæ, indice Josepho disciplinæ eorum, qua & imbutus erat, apprime gnaro, de bello Iudaico lib. 2. cap. 7. ac credant hodiernum Indorum nonnulli, ut testatur Hugo Linscotanus, qui Indiam diu & diligenter illustravit. lib. 1. cap. 38. & Mandelslous in *Worgerländischer Reichsbeschreibung* cap. 37. p. 113. atque Chineses, ut videre est ex Trigautio, Epistola de anno 1610. Druides quoque Gallorum apud Cæsarem, lib. 6. de bello Gallico, & Diodorum lib. 5. ac alii apud Historicos passim hanc sententiam secuti legantur. apparet sic latis multas, easque eruditas gentes, aut præcipuos inter eos viros convenisse in hanc sententiam. Quo loco tamen id probare nequeo, quod scribunt tum Linscotanus, tum Mandelslous & Trigautius, ac viri eruditi alii, discipulos hac in parte esse Indos Pythagoræ. Sententiam enim hanc ab Ægyptiis ad reliquas Orientales gentes, ne exceptis quidem Chinenibus, ut alia etiam multa, pervenisse, fortassis pauci, post eam operam, quâ hanc rem expeditam dedit in Oedipo Ægyptiaco Kircherus, dubitant. Et Pythagoras juvenis adhuc, consilio Thaletis, in Ægyptum & alias Orientis regiones concessit, non ut ipse doceret Philosophos eorum; sed ut disceret. ut scimus quidem ex Jamblichō de vita Pythagoræ, cap. 2. in fine.

V. Neque aliter, quam commune esse hominibus cum bestiis Naturæ Jus, sentire posse videntur illi, qui rationem brutis tribuunt. Quamvis enim se mutuo hæc non cõsequi velit, Johannes Seldenus de Jure Naturæ & Gentium, &c. l. 1. c. 5. in fine. id tamen omne, cum innitatur præsupposito, quod nos inter certa non habemus, meritò à veritate alienum existimamus. Jus ergo Naturæ in bestiis agnovisse judicamus, quotquot illis rationem non negandam existimarunt, quales Anaxagoras teste Plutarcho, lib. 5. de placit. Philosophorum, cap. 20. & Aristoteles de anima lib. 1. Melampus, Tyresias, ac Thales, si Porphyrio de abstinentia credimus, Parmenides & Democritus ex Stobæo lib. 1. Eclog. Physicarum. Chrysippus, qui illis etiam Dialecticæ peritiâ adscribit, ut ex Sexto Empirico lib. 1. Pyrrh. Hypoth. cap. 14. apparet, ubi & caninum Chrysippi syllogismum recitat; ac post Stoicos, Galenus in *Protreptico*, qui quamvis dubitare alicubi videatur, magis tamen in hanc sententiam inclinat,

quod & facit Quintilianus lib. 2. *Orat. Instit. cap. 16.* ubi hæc repetas: *In brutis, moliri cubilia, & nidos texere, & elacare fœtus, & reponere in hiemem alimenta, opera quadam nobis inimitabilia efficere, non nullius fortasse rationis est: sed quia carenti sermone, quæ id faciunt muta atque irrationabilia vocantur.* Porphyrius libris de sacrificiis, præcipue iis de *Abstinencia.* Lactantius lib. 3. *divinarum Institutionum, cap. 10.* & de *Ira Dei, cap. 17.* Sed nec horum errorem corrigunt, verum defensum volunt, aliquot eruditi viri seculorum recentiorum; Ut non memorem Albertum Magnum, & Antonium Cittadinum; Laurentius Vallà *libr. 9. Dialect.* ac Bernardinus Telsius Calaber, (qui primus in Aristotelem nostris secutis calamum strinxit, vir alioquin doctissimus, & quem præceptoris loco habent viri celebres, Franciscus Patritius & Thomas Campanella) *lib. 8. de rerum Natura, c. 16.* Hieronymus Rorarius Exlegatus Pontificius, libris duobus; *quod animalia bruta ratione utantur melius homine,* quos edidit primus è bibliotheca sua, & Puteanis Fratibus inscripsit Gabriel Naudæus. Stephanus Pasquierius *Epistolâ* in eam rem peculiari *ad Adrianum Turnebum.* Charvon *de la sagesse, livre premier, cap. 34. num. 6.* Ac notæ sunt acres eo de negotio concertationes Dni. Chanetti, qui Charrohum oppugnavit, ac qui ejus partes defendendas suscepit Dn. de la Chambre. Quin huic sententiæ, quod miror, aliquando subscripsit, quam tamen deinceps arate maturior mutavit Cl. Salmasius: Verba ipsius hæc sunt in *Animadvert. in Epist. & Simpl. pag. 136. Liber impleri posset exemplis, quibus probaretur ratione etiam non destitui animalia, quæ creduntur rationis expertia.* vide & eum lineis aliquot sequentibus. Atque hanc mentem seriam fuisse etiam Plutarchi, libellis duobus *πότερ τῶν ζῴων φρονιμώτερον* & altero *Ἐὶ τὴ τὰ ἀλογα ἄλογα χεῖρται.* eruditorum aliqui, quamvis (ut vere observat vir judiciosissimus Lud. Vives *de Anim.*) falso volunt. Id saltem ex iis, quæ ante notavimus, satis constat, ex re & vero scripsisse, Chrysothomum illum aurei oris patrem, *Hem 4. in Alfa,* quæ subjungo Latinis interpretis verbis, quia solum id exemplar ad manus est. *Per Philosophos (inquæ) hoc semper egit Diabolus, ut ostenderet, nostrum genus nihil à brutis differre, quando nonnulli in opinionem tam absurdam venerunt, ut animalia rationis expertia ratione prædita esse dicerent.*

VI. Neg;

VI. Neque alieni ab hac sententia, *Ius Natura in bruta ca-* 14
dere, videri alicui possent è sanctis Ecclesiæ Patribus aliquot. Am-
 brosius asinorum & equarum, mixtiones in *Hexaem. libr. 5. cap. 3.* 15
 adulterium jumentale vocat: & aves non scripta, sed nata lege ob-
 stringi, *cap. 17. & 18.* vid. & ejus *lib. 6. Hexaem. cap. 4.* ubi haud se-
 cus ac Lactantius, brutis rationem tribuit. Hieronymus in *Epist. ad*
Ephes. cap. 5. lib. 3. bestiis ipso Natura jure præscriptum, ut prægnan-
tes ad partum nique non coeant. Aurelius Cassiodorus *Epist. 37. libr.*
 1. jus quoque Naturæ brutis commune facit. Atque est in eam rem
 elegans locus Guilielmi Alverni, cujus ætas in seculum decimum
 tertium incidit, ubi omnia genera animalium etiã justiciam exer-
 cere putat, *cap. 5.* Exempla plurima habes apud Seldenum, ac pro-
 fanorum autorum diſta, *lib. 1. cap. 5.* Unde sua *libri 1. tit. 2.* non lau-
 dato nomine ejus descripsit Hugo de Roy. Jcti quoque tum veteres, 16
 tum recentiores non pauci in hanc sententiam eunt, cum aliquo
 tamen, ut patebit deinceps, discrimine. In eam rem Ulpianus *l. 1.*
 § 3. ff. de *Instit. & Jur.* *Jus Natura est, quod natura omnia ani-* 17
malia docuit: nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium
animalium, quæ in terra, quæ in mari nascuntur, avium quoque com-
mune est. &c. quod iisdem fere verbis Justinianus in *Instit. in princ.*
tit. de jure Natur. Gent. & Civil. retulit. Neq; solius fuit hæc Ul- 18
 piani etiã ex veteribus Jctis sententia, ut post Bachovium in com-
 ment. *ad prim. part. Pandect. tit. de justit. & jure, num. 6.* existimat
 Vinnius, *ad princ. Instit. de jur. Natur. Gent. & Civil.* id enim, nisi
 de iis Jctis, qui ante compilationem Pandectarum vixere, intelliga-
 tur, (de quorum tamen sententia nihil certi constat) falsum esse do- 19
 cent Orientalium Jctorum libri, vid. Basil. *libr. 2. Harmenop. Pro-*
cheir lib. 1. tit. 10. Seld. cap. 4. in princ. lib. 1. de jur. Nat. Gent. Hu-
 go de Roy *de eo quod justum est, libr. 1. tit. 2.* adde & Theophilum, 20
ad tit. Inst. de Jur. Natur. Gent. & Civil. in princ. De recentiori-
 bus autem id adeo verum non est, ut communem Doctorum opi-
 nionem esse, jus Naturale esse homini cum brutis animalibus com-
 mune scripserit Frantzkius *Exercit. 1. quest. 3.* quod tamen qui cal-
 culum rectè inierit, ei minimè conceder.

VII. Video autem non eodem modo hic mentem suam ex- 21
 plicare,

plicare Jctos, qui commuue putant brutis cum hominibus Naturæ jus: Alii enim proprie intellectum volant, quam sententiam tuetur Ungepaus *Exercit. 2. quæst. 1.* ubi Lopezium, Corasium, Rævardum, Loniottum, Albericum Gentilem, Marcum Lyclama, & Stuekium, idem defendere notat, Mæstertius *de justit. legum Romanorum dubit. 7.* ubi Seldeni argumentis in adversum satisfacere frustra contendit. Dn. Ludwell. *ad 0. 1. Instit. de I. N. G. & C. n. 2.* Confer eundem in notis *MSS. ad Wesemb. Parat. ad num. 14.* Michael de Luna & Arellano *de jure Naturæ lib. 1. c. 4.* adductus à Dn. Scruvio, *ad tit. de I & I. n. 50.* Alii jus Naturale duplex esse volunt: unum commune homini cum bestiis, & alterum quod vocant Jus Naturale rationale, quod post alios existimat Hugo de Roy, *trakt. de eo, quod justum est. tit. 3. libri 1.* Alii distinguunt ac jus Naturæ materialiter, ut ipsi loquuntur, brutis tribuunt, formaliter non item. h. e. Jus Naturæ duabus partibus constare volunt, Materia & Forma, Materiam appetitum & naturæ instinctum vocant, quem brutis communem esse ajunt: Formam vero rationem, quæ his moderatur & imperat, quam sententiam Bæthobus *ad Træusler. Disput. 1. thes. 4. lit. c.* Antonio Fabro, & aliis tribuit; neque ipse valde improbat in *Comment. ad 1. part. Pandectarum ad tit. de Instit. & Inre. pag. 21.* ubi tamen non fuisse eam Ulpiani & Justiniani sententiam fatetur. & ita rem expedit etiam Flunnios *ad princ. Inst. de I. N. G. & Civ. ac Gæhauf. peric. Acad. part. 1. q. 2.* Neq; aliter ferè sentire videntur illi, qui quod jure facit homo, si faciat naturali incitatione idem bestia, esse volunt juris naturalis: quam elegantem Goveam, Cuiacii, Giphani & Heigii distinctionem vocat Dn. Harpprechtus *ad princ. de Inr. Nat. Gent. & Civil. n. 2.* Quia tamen ultimi hi agnoscunt duo requiri ad id, ut aliquid verè sit juris Naturæ, materiam & formam, quorum alterù idq; præcipuum deesse in brutis agnoscunt, itidem necessario nobis dant, non esse homini cum brutis communionem juris hujus Naturæ, adeoq; cum illis non plus nobis negotii erit, quam cum iis, qui improprie Jus Naturæ brutis tribuunt, eo enim iplo, quod hoc dicunt, negant proprie illis competere, de iis autem solis, quæ proprie vera sunt, nos in præsens querimus.

2 2

VIII. Non sunt vero juris naturæ capaces bestiz. Jus enim omne

omne & lex, rationem requirit, & sine ea, inprimis Naturæ lex esse non potest. Neque est quare argumentum hoc eludant Mæstertius de Justitia legum Romanarum *libr. 1. dubit. 5.* Gregor. Lopez. *libr. 23* *ing. animadv. c. 2.* Ungepaur. *Exercit. 2. quæst. 1.* ubi requiri rationem in subjecto (ut barbære vocant) mensurante & regulante solum, non mensurato & regulato volunt, hoc est, in eo requiri rationem qui fert legem, non qui accipit. Cognitio enim legis, ac electio boni illius, quod lex jubet, ac aversatio mali, quod vetat, quæ in subjecto cui leges feruntur, necessariæ sunt, cum absque ratione fieri non possint, eam etiam in illo exigunt, quo bestias vacare concedunt dissentientium pleriq;. *Non est autem ex tali cognitione objecti tanquam boni & honesti, quicquid hujus humano juri aliqua parte analogum in brutis deprehenditur, sed ex inclinatione mere naturali & necessaria, ut eleganter loquitur vir doctus Epitome Theol. Moral. p. 48.* Sed nec proprie & sub peccato obligantur bruta, quod tamen non postremum est legis officium, verum impetu ut diximus naturali feruntur, & imposita quasi necessitate agunt. Conf. Frantzki *Comm. ad Pandectas, tit. de I. & I. num. 106. & 107.*

IX. Neque esse potest jus, inter quos neque lex est, neque justitia, neque injustitia, quo argumento utitur Aristoteles *libr. 5. Ethicorum 10.* ex quo capite & aliæ pro nostra hac sententia rationes colligi possunt. Quin & jure nostro, ab ipso Ulpiano, dicuntur bruta expertia esse injuriæ, unde pauperiem, cum damnum dant, non injuriam facere dicuntur. *l. 1. §. 3. ff. Si quadrupes pauperiem. & princ. Instit. eod.* quod autem injuriam inferre non potest, nec juris alicujus proprie dicti est particeps, *arg. l. 1. in princ. D. Injuriis.* Seldenus de *Jur. Natur. Gent. & c. libr. 1, cap. 5.* Frantzkius in *Exercit. quæst. 3.* Non est quidem argumentum hoc tale, ut causam decidere possit, quia non ex legibus civilibus, aut ex solis Jctōrum verbis finiri potest quæstio, an naturaliter solum injuriam inferre possint bestię? sed ex ipsa rei natura; quia tamen id, quod natura verum est, viderunt & veteres Jcti, malim etiam ad illa, quæ natura talia sunt, confirmanda, illorum sententiis & verbis, quam meis uti. Alia argumenta ex Philosophiâ, & ipsa rerum Natura pe- 24

H
ponit

ponit Ungepaar, *Exercit. 2. quest. 1.* & qui præ cæteris legi meretur Johannes Seldenus *de Jure Natur. & Gent. ad disciplinam Ebraorum. lib. 1. cap. 4. & 5.* integris.

X. Et sane hanc sententiam nostram Ebræis placuisse ostendit Seldenus *de Jure Naturæ & Gentium. lib. 1. cap. 5. & 6.* Sed & Hesiodo antiquissimo post Homerum Græcorum, qui quidem hodie extet, non diversum aliquid visum in *Egy. & Hæte.* ubi de reliquiis animalibus præter hominem

ἰθεὺ ἀλλήλους ἔπει & δίχη ἐστὶν ἐπ' ὄντοισι.

Se mutuo devorare, quia nullum illis jus est quo obligentur. Nec aliter Plato in *Menex.* *Nostra terra ex omnibus animantibus hominem genuit, qui cæteris intelligentia præstat, solusque jus ac Deos animadvertit.* quod & vidit Bachovius *ad Treutl. Disput. 1. th. 4. lit. C.* & qui ex eo sæpe sua mutuatur Vinnius *ad §. 1. Instit. de Jur. Natur. Gent.* Aristotelis quoque elegans in eam rem locus est, *5. Ethic. 10.* unde & argumentum paulo ante desumpsimus. Cicero *de officiis primo: In equis, in leonibus (ait) justitiam non dicimus.* Plutarchus *in vita Catonis. Majoris: lege & justitia adversus homines tantum utimur.* ut mirer virum doctum in ea esse sententia in *Comment. ad Inst. ad §. 1. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* proprie hunc etiam brutis rationem tribuisse. Atqui hic locus etiam idoneus est, ostendere non serio factum, quod alicubi rationem bestiis tribuere videretur Plutarchus in *adductis libris.* Seneca *1. de ira cap. 3.* Lactantii, Juvenalis ac aliorum loca in hanc rem habes apud Hug. Grotium, *de Jur. Bell. & pac. libr. 1. cap. 1. n. 11.* & in notis, Atqui ita etiam sensisse Cajum ac Florentinum Ictos, (quibus adde & Paulū) probat *ex l. 9. & arg. l. 3. de Inst. & Jure.* Bachovius *Comment. ad Pandectas, ad tit. de Inst. & Jure, num. 6.* Et video non antiquis solum, sed recentioribus etiam eam probari, tum Theologis, tum Jctis ac Philosophis eruditissimis, tam multis, ut ausim asserere, haud dubiè falli Frantzkium, qui contrariam ut communem tribuit Jctis. Sane brutis jus negant, (ut aliquos saltem eorum, sed ex præcipuis recenteam) Divus Thomas *1. 2. quest. 91. artic. 2.* loco adeo egregio & claro, ut nec explicandum sibi putarit in *Commentario suo ad eum Thomas de Vió Cajetanus, quo ostendit, participationem, legis æternæ in*

na in sola rationali natura vocari legem Naturæ, in creatura autem irrationali, quia non participatur intellectualiter & rationaliter. (ita ipse loquitur) ideo non posse ipsam esse legem, nisi analogicè, quem locum Divi Thomæ etiam observavit Hahn ad *Wesemb.* p. 43. & 44. Johannes Seldenus *dist. lib. cap. 5. & 6.* ubi quæ contra objiciuntur sollicitè & ea cura, cui vix aliquid addi potest, diluit, quare & responsiones desiderantem eo remittimus. Hugo Grotius de *Jur. bell. & pac. lib. 1. c. 1. n. 11.* & ibi in notis. Claudius Salmasius de *Usuris, cap. 9.* Jacobus Cujacius ad *Instit. tit. de justit. & jure.* & in *Epitome Pandectarum lib. 1. tit. 1. cap. 1. §. 11.* quamvis non ignorem aliquos pro contrariâ adducere Cujacium. Alexander Turaminius Patritius Senensis, Jctus, & in Neapolitana Academia primæ sedis Professor tractatu Florentiæ ante annos septuaginta typis descripto ad rubricam de legibus, *lib. 1. cap. 2.* Frantzkius in *Exercit. 1. quest. 3.* & *Comment. in Pandectas ad tit. de justit. & jur. n. 106.* ac *Comment. ad Instit. ad tit. de Jur. Nat. Gent. & Civil. n. 5. & seqq.* Bachovius ad *Trentl. vol. 1. disp. 1. th. 4. lit. C.* & luculentius in *Comment. ad pr. partem Pandectarum, tit. de justitia & jure, p. 21.* & ad *Instit. princ. tit. de Jure Nat. Gent. & Civili.* Vinnius *princ. Instit. de I. N. G. & C.* & ibidem Hotomannus, Hortensius, Eguinarius Baro, Harprechtus, vid. & Connanum *lib. 1. Comment. 4. n. 7.* Albertum Bolognetum, de *jure & equitate, cap. 5. 6. & 16.* Wesembec. in *Paratistis ff. de justit. & jur. n. 14.* & ibi inprimis Dn. Hahnium, Hugonem Donellum *Comment. de jure Civil. libr. 1. cap. 16.* Dn. Struvium ad *tit. de just. & jur. n. 50.* Vallens. in *juris Canonici proæmio, §. 3. n. 3.* Georgium Calixtum, *Epitome Theolog. Moral. p. 48.* Conradum Horneum *Philosophia Moral. lib. 4. cap. 3. n. 21. & seqq.* Guil. Amesium de *conscientia lib. 5. cap. 1. quest. 3.* Gassendum in *Syntaxm. Philosophia Epicuri, cap. 27.* Hobbeum in *Elementis Phil. de Cive, cap. 2. n. 1. in fine.* quibus addo demum verba Suarezii ex tract. ejus de *legibus. & legist. lib. 1. cap. 1. n. 2. cap. 3. n. 8.* *Animalia bruta (inquit) non sunt capacia proprie legis, sicut nec obedientia; cum nec ratione nec libertate utantur. Efficacia ergo divina virtutis, & necessitatis naturalis, que in rebus carentibus ratione inde resultat, per metaphoram lex appellatur, & licet bruta in hoc*

differant ab insensibilibus, quod non sola vi natura, sed etiam cognitione & instinctu naturali ducantur, qui instinctus est illis quasi lex. & hac ratione videatur posse sustineri illud: jns etiam in bruta cadit. rament nihilominus illa acceptio juris vel legis est simpliciter metaphorica, & valde analogica, Hactenus ille. Nempe nihil rarum est, 25
improprie sumi vocabulum legis, etiam bonæ notæ scriptoribus, pro actu naturæ plerumq; constante, ita Seneca *quæst. Nat. lib. 3. c. 29. legem barba, (ait) & canorum nondum natus infans habet. Virg. de Apibus 4. Georg. - - magnisque agitant sub legibus avum: leges ventis scribere, est* apud Senecam, in *Medea act. 2. Canones etiam & regulæ Mathematicæ leges vocantur. Selden. libr. 1. de Jur. Natur. Gent. & Civil. cap. 4. p. 58. & offerent sese quærenti similia alia. nobis plura adicere præter necessitatem esse existimatur.*

26 XI. Videtur quidem interdum, pœnam irrogari etiam brutis, tum in divinis, tum humanis legibus, propter delicta graviora Jure Naturæ prohibita. *Levit. 20. v. 15. 16. & 27. ait divinus Legislator: 27 Vir qui posuerit concubitum suum cum bestia, interficiatur, & bestiam quoque occidetis. Mulier vero, qua accesserit ad quamcunque bestiam, & succubuerit ei, occides mulierem, atque bestiam, morte interficiantur, sanguis eorum sit super eos.* Idque observasse Ebræos ex Maimonide & aliis, docet Seldenus *lib. 1. cap. 4. pag. 52. in bestiis quidem sine ullo ætatis discrimine, in homine tamen requirunt, ut puer novenni, puella trienni major esset: ante hanc enim ætatem congressum in lege interdictum fieri posse, non admittunt eorum Jcti. Sed & bos cornupeta, qui hominem occiderat, Exodi 21. vers. 28. lapidandus dicitur. Quam legem ultra Politiam Judaicam extendit Ludovicus Dunte de casibus conscientia, cap. 10. sect. 2. quæst. 15. Sane Wirtembergico Provinciæ hujus jure Novell. Constit. Ludovici Ducis de anno 1586. §. 27. etiam constitutum reperio, ut Sodomitæ cum bestiis concumbentes, & convicti criminis, trassit der Kaiserlichen Sazungen/ und peinlicher Halsgerichts Ordnung/ in dem Gewr neben dem Vieh von Leben zum Tode jurichren verurtheilt und erkant werden sollen. Atqui ita plus simplici viæ in Facultate Collegii nostri juridici pronuntiatum memini, addito tamen hoc moderamine, ut bestia antea occideretur à carnificè, ac dein-*

ceps

ceps flammæ traderetur cadaver. Guido Papæ: *decif. 238*, in Burgundia se vidisse, ait, porcum, quod puerum interemisset, ad furcam condemnatum & suspensum. De Bove, qui hominem occiderat, præjudicium rocens est apud Carpozovium *Pract. crim. part. 3. quest. 131. num. 25. Das der Ochse/ zur verhütung fernern Unglücks und Schadens/ billich abgethan werd.* Et vero propriè puniri hac ratione bestias credebant etiam Zaducazi, ut patet ex More Nevochim Mosis Ben Maimon *part. 3. cap. 40.* ubi tamen ipse illos confutat. Cæterum in his & aliis hujusmodi exemplis, non pœnæ rationem habet, quod patiuntur bestia. Idque ipsi Ebrzi agnoscunt, 28 atque ex iis, inprimis Gemara Babylonica, docet doctissimus Seldenus *de I. N. G. lib. 1. cap. 4.* Sed vel ut tollatur Scandalum, vel ne ignominia hominis sodomita jam mortem passi, superflite & omnium oculis obvio animali peccati ipsius objecto, ultra modum augeatur; vel ut atrocitas delicti hominibus innotescat; vel in aliis, quæ hominem occiderunt animalibus, ne noceat ultra animal, quod mortem homini inferendo, semel grave damnum dedit; utque etiam Dominus pecoris, propter non adhibitam custodiendæ bestia, quam debebat, curam, plectatur damno ipsius, quod egregiè ibi ex rarioribus Jctorum Ebrzorum scriptis explicat Seldenus.

XII. Quare non magis pœnæ rationem hæc habent in adductis exemplis, quam in loco *Deut. 13. vers. 15. & 16.* ubi jumenta & pecora Cananzorum gladio delenda dicuntur, & bona comburenda, & sculptilia etiam ac luci eorum, non quod ipsa deliquissent, sed quod delinquendi instrumenta hominibus idololâtris fuissent, & ut memoria nulla ultra, prohiberi cultus extaret, & simul criminis hujus atrocitas Israelitis innotesceret. Ipsi enim pœnæ non fuit irrogata propriè, non magis quam ex Atheniensium legibus, lapidi, ligno, securi, id genus aliis, quoties homicidii fuissent instrumenta, quæ tamen in judicium deducebantur velut in pœnam. Et Theaginis statutz ex lege Draconis, & sententia Thasiorum in mare projectæ, ob eadem casum ipsius insecutam, quod tradunt Demosthenes *Oratione contra Aristocratem*, Pausanias *in Eliacis*. Suidas *in Nicone*. Pœnâ enim solum est peccantis, peccare autem non est nisi ejus, qui utitur rationali voluntatis arbitrio, quod in omnibus mortalibus

talibus animantibus, non nisi homini est divinitus attributum. *Sed aliud est, cum proprie loquimur, aliud est, cum verba ex aliis rebus transferendo vel abutendo mutamus,* quæ egregia sunt verba Augustini, haud dubie Petrum omnium Principis, quantum quidem eorum nobis restat. *lib. 2. de adult. Conjugiis ad Pollent. cap. 16. conf. Seldenum cap. 4. libr. 1. de Jur. Natur. & Gent. & Horneum Philosophiæ Moralis lib. 4. cap. 3. num. 22. imprimis.* quibus addi potest Alexander Turaminius *tract. de legib. lib. 1. cap. 2.* Ex quibus id satis patet, ut equidem arbitrò, Jus Naturæ ad bestias non pertinere. Quia tamen sunt inclinationes & operationes quædam, quæ communes hominibus sunt cum brutis, non item cum plantis ac aliis rebus anima carentibus, quæque in homine propter rationem, quæ ea sibi suæque naturæ convenire novit, Juris Naturæ sunt, hinc non improbamus illorum sententiam, qui existimant, peccatum hominis facientis contra illas inclinationes Naturales, quas cum brutis habet communes, ex hac ipsa comparatione jure meritoque majus haberi; quale est peccatum, ejus in *l. 31. C. ad legem Juliam de adult. viis,* mentio vid. ea de re Guil. Amesum *de cons. libr. 5. cap. 1. q. 3. in fine.* Seldem. *ad Hug. Grotium, cap. 1. §. 11.* ubi promittit pluribus ea de re se acturum in Commentario ad instituta. Frantzk. *ad Pandect. ad tit. de justit. & jure. num. 110.* ac ex Moralium scriptoribus Dominicum Bannes, *tract. de justit. & jure. quest. 57. art. 3. concl. 2.*

31 Atqui totam hanc Pythagoreorum de Jure Naturæ sententiam, pluribus fortassis explicabit, Vir Cl. Johannes Schæfferus, qui diu jam in eo est, ut quod in Philosophia Epicuri fecit Gassendus, quodq; erudito orbi promisit pridem de Democriti doctrina doctissimus, idemque amicissimus Petrus Borellus Christianissimi Regis Medicus, id ipse libris aliquot in restituenda vita & Philosophia Pythagoræ præter.

SECT. II.

Diversa sententia Philosophorum è Ionica secta à Pythagoricis. 1. Ex ea Archelaus, Aristippus, Carneades Jus Naturæ negant. 2. argumenta Carneadis à Lactantio recensita. 3. Theodorus & Diagoras isidem Jus Naturæ negasse videntur. 4. Ari-

4. *Aristoteles gentes integras observat, qua Ius Natura negligens.*
 5. *Argumentum aliorum contra Ius Natura, ab Aristotele allatum.* 6. *& Sexto Empirico.* 7. *Etiam nostra aetate id negasse Ostorodum, Michaelen de Montagne, Thomam Anglum, Hobbeum modo negare modo asserere leges Natura.* 8. *De Feldeni novo argumento contra Ius Natura iudicium.* 9. *ostenditur necessario dari Ius Natura ex Existencia, Omnipotentia, & Prudentia divina.* 10. *qua praesupposita itidem vel ex sola ratione probari possunt.* 11. *quod factum jam à Raimondo Sebono, Ludovico Vive, Morneo, Grotio, Cornelio Martini, & Dn. Johan Adamo Osiandro.* 12. *Ex his praesuppositis quomodo lex aeterna, quomodo Naturalis certo inferatur.* 13. *Ius Natura à posteriori arguit conscientia.* 14. *id argumentum plenius explicatum & ab objectionibus vindicatum.* 15. *Apostolus etiam inde Ius Natura concludit.* 16. *& vim argumenti agnoscunt in scriptis suis Ethnici.* 17. *ac cognoverunt in seipsis qui conscientiam esse non crediderunt ante, Tiberius, Nero, alii.* 18. *Probatur Ius Natura ex societatibus Naturalibus.* 19. *qua ex Aristotele probantur.* 20. *evincitur hominem esse natura sociale animal.* 21. *& laudantur aliqui qui dissentientem Hobbeum refutarunt.* 22. *Alexander quoque Aphrodisaeus Ius Natura ex Naturali societate & ejus appetitu probat.* 23. *Ex consensu gentium & singulorum hominum, in hanc sententiam paucissimis exceptis, efficitur Ius Natura.* 24. *qui collegerint dicta Autorum qui Ius Natura agnoscunt.* 25. *Carneadis, Epicuri, Sexti Empirici, Montani argumentis in contrarium respondetur.* 26. *Nil concludit argumentum ab utilitate, quam homines ubique querunt, Iuri Natura adversa.* 27. *cui respondetur ex Grotio.* 28. *Nihil etiam alterum à mutabilitate Iuris.* 29. *quod ex Aristotele, Michaelae Ephesio, Andronico Rhodio diluitur.* 30. *Locus Aristotelis ambiguus interpretatur.* 31.

Et Acc

XIII. **E**T hæc quidem, occasione Pythagoricæ de Jure Naturæ sententiæ. Cæterum non eadem cum Pythagoricis sensere ex Ionica secta non pauci. Ex iis seculo octavo ante Christi Nativitatem vixit Archelaus, Socratis etiam, si Laertio in vita illius fides, præceptor, seculo quarto vero Aristippus, & seculo secundo Carneades. Eorum omnium hæc de Jure Naturæ doctrina fuit, illud nullum esse, *μηδὲν τι εἶναι φύσει δίκαιον ἢ ἀσεχρὸν, ἀλλὰ νόμος καὶ ἔθος* nihil natura justum esse, aut honestum vel turpe, sed consuetudine et lege: ubi legis nomine, civilem solum venire volunt. Quod de Archelao & Aristippo in vita eorum Diogenes, de Carneade vero, non quidem in vita ejus ille Auctor; sed tamen ex Ciceronis libris deperditis narrat Lactantius *libr. 5. Divinarum Instit. cap. 17.* (quod omnino integrum legi meretur, ad indagandam Carneadis sententiam & argumenta, cum partem ejus saltem retulerit Hugo Grotius in Prolegomena Tractatus de jure belli ac pacis) atq; addit, postquam ea recensuisset: *arguta hæc plane ac venenata sunt, & quæ Marcus Tullius non potuit refellere.* Theodorus quoque ac Diagoras Melius, nullum videntur Naturæ Jus agnovisse: eos sane *nihilos Deos afferendo, timorem omnem, quo humanitas, regitur, venerationemque penitus sustulisse,* ex Minutio Felice in Octavio narrat Seldenus de *Jure Natura & Gentium, &c. lib. 1. cap. 7. p. 90.* & nota ex Diogene Laertio in vita Aristippi, & Hesychio in vita ejus, Theodori sententiæ, furtum, adulterium, sacrilegium, non habentis, inter jure Naturæ prohibita. Aristoteles etiam ad *Nicomach. 7. c. 6.* observat nationes, *quæ ex natura recto rationis usu carentes, & sensu saltem viventes instar ferarum erant:* in quem locum consule interpretes ejus, Averroem imprimis, & Andronicum Rhodium virum doctissimum: vide & alterum Aristotelis locum, *Polit. 8. cap. 4.* & imprimis *5. Ethicorum 10.* ubi *nonnullis omnia jura videri esse, ait, legitima, quia quod est Natura, immobile est, & ubiq; eandem vim habet, quemadmodum ignis, qui & hic & apud Persas urit, jura verò moveri vident.* quo argumento etiam utitur Sextus Empiricus *Pyrrhonicarum hypotyposion lib. 3. cap. 22.* Quamvis enim Sceptici, rationes solum diversa sentientium expedientes, & postquam eas compo-
marint,

marint. vid. d. l. *Empirici* & cap. 9. l. 2. ac *Lucianum in visarum ditione*; attamen, & qui dubitat de Jure Naturæ, is id non concedit, ac ideo in praxi non raro haud dubie peccat contra illud, & negantis non dubitantis argumenta sunt, quæ Empiricus affert allegato superius loco. Seneca quoque in *Troad. act. 5.* hujusmodi gentium meminisse videtur, quibus nullum agnoscatur Naturæ jus: hinc illa apud ipsum,

*Quæ Caspium tangens mare
Gens expertis juris ansa.*

XIV. Atque utinam deessent qui nostra ætate dari jus Naturæ negant. Ostorodus (ut quidem illius sententiam recenset Balthasar Meisnerus) circa initia seculi hujus, in institutionibus Raco-viæ typis excusis, id negare ausus est. Nec video, quorsum tendant, nisi ad destruendum Naturæ jus, quæ seculo jam, quod nostrum antecessit, scripsit Michael de Montagne lib. 2. *des Essais, cap. 12.* quod inscribit *Apologiam Raimondi. pag. m. 596.* Locum ipsum Gallice quivis ex ipso autore repetere potest, nos illum, quia prolixus est, dabimus saltem, ut Latine vertimus: *Lepidi, ait, illi sunt, qui mutabilitatem legum excusatam volunt. (de hac enim ante loquitur) quando, ut legibus addant à certitudine auctoritatem, ajunt esse earum aliquas firmas perpetuas & immutabiles, quas ipsi nominant Naturales, inscriptas humano generi, & impressas ex condicione ipsius essentie humane: atque harum legum alii tres, alii quatuor, nonnulli plures, atque etiam aliqui pauciores, esse valent, quo indicio constat rem hanc non magis dubia vacare, quam reliqua, de quibus diximus. Cæcærum adeo infortunati sunt, (quomodo enim illos aliter appellem, quam infortunatos) quod ex numero infinito legum ne unica quidem reperiat, quæ forte fortuna ubique recepta sit, consensu Nationum omnium, & à tribus vel quatuor his legibus electis, ne una quidem sit, cui non contradicatur, non ab una aliqua natione, sed à pluribus. Jam vero, sola maxime verisimilis nota est, unde argumentari possint esse leges nonnullas Naturales, quod universaliter illa approbatur: quod enim Natura nobis revera præscriptis, sine dubio communi consensu sequeremur, neq. solum integra nationes, sed singuli etiam mortales, vim & impetum sentirent, quem legibus his afferrent, qui*

ut contra peccarent, illos adigere vellent. Talem autem legem ego habens cernerem. Addit deinceps Protagoram quoq; ac apud Platonem Trasimachum, non aliter sensisse de legibus quam nullas eas esse præter superiorum iussa & commoditatem. Ante biennium & quod excurrit, edidit iterum Samuel Sorberius Syntagma Philosophiæ Epicuri Petri Gassendi, is ejus libri part. 3. cap. 25. agit de jure seu justo, à quo justitia dicta, scribitque quæ sequuntur. *Ac sunt quidem, qui existimant ea, quæ iusta sunt, esse secundum propriam invariabilem naturam iustam; & leges non ipsa iusta facere, sed duntaxat præscribere, juxta eam quam habent Naturam: verum res non ita se habet, sed eo potius modo quo se habere observatur cæteris in rebus, quæ sunt utiles ut quæ ad sanitatem spectant, sexcentaq; similes, quæ utiles illis, noxia istis sunt; sicque à scopo sæpenumero tam communitè, quam privatim aberrant, idq; probat ratione quæ eadem est cum illa ab Aristotele memorata, ac Carneadi, Sexto Empirico, Montano, usurpata, iusta non ubique semper & omnibus talia haberi, quod fieret, si aliquid tale natura esset. Videtur quidem alibi nihil minus quam Naturæ Jus negare, dict. cap. Necessè est, ait, ut id quod, jus seu justum, quippiam secundum Naturam sit, ac naturale ideo dicatur; sed fraus facile patet, ex iis quæ præcedunt, quia unusquisq; id, quod sibi bonum, natura duce, expetit, & quæ sequuntur: quotiesca, ut proprie loquamur, jus sive justum Naturale, nihil aliud est, quam cætera utilitatis; seu ea, conspirantibus votis proposita utilitatis, ut homines ad invicem neque ledant neque ledantur; atq; adeo securè, degant, quod, ut bonum est, sic natura duce quoque expetit: utile proinde ac bonum pro eodem hic habeo, censoque ut quippiam justum sit, seu jure servetur, duo quidem exigere, nunc ut utile sit, alterum ut sit ex communi consensu societatis præscriptum.*

XV. Neque ab hac sententia interdum alienus est Thomas Hobbes. Quamvis enim varie de Jure Naturæ scribat, ac in præfatione Elementorum Philosophicorum, dictamen rationis Legem Naturalem, appellet: quod repetit sæpe cap. 1. p. 12. & 13. thes. 9. & alibi, atque etiam in ultimo ipsius scripto de Homine quod ante triennium Latine edi fecit Londini, ubi thes. cap. 14. Drum, eo ipse, quod homines fecerit rationales, ipsi mandata quadam præcepisse, ac cordi-

cordibus omnium hanc legem insculpsisse, ne quicquam quicquam faceret, quod alium sibi facere iniquum duceret; vicissim tamen, passim ea scribit, ex quibus fortassis non immerito quis concludat, eum Ius Naturæ inficias ire. In præfatione ad Lectorem de Elementis, de civitate laudat eos, qui ostenderunt rationibus firmissimis, Doctrinas de iusto & iniusto, bono & malo, præter leges in unaquaq; civitate constitutas esse nullas. cap. 1. eod. lib. art. 10. In statu Naturali mensuram juris esse utilitatem: & ne quis meliora deinceps putet hisce prætulisse, postremo de Homine Tractatu, eodem ex quo ante quædam pro Jure Naturæ ejus verba adduximus cap. 10. in fine, scribit, quæ subijcio. *Scientia iusti & iniusti, equi & iniqui, à priori demonstrari potest, propterea quod principia, quibus justum & æquum, & contra iniustum & iniquum quid sint cognoscitur, id est, justitia causas, nimirum leges, & pacta, ipsi fecimus. Nam ante pacta & leges conditas, nulla neque justitia neque injustitia, neque bonum neque malum publicum, naturæ erat inter homines magis, quam inter bestias.* Unde satis liquet de jure Naturæ ita ambigue scripsisse autorem hunc, ut quid sentiret non omnibus patere vellet. Et vero etiam ex eadem gente vir alias doctrinæ laude apud multos celebris, Thomas Anglus, è generosa Albiorum prolapia, in Institutionibus sacris, extractis super fundamentis in Peripatetica Digbiana jactis, libello, ob paucitatem, quæ excusa sunt, exemplarium, & prohibitionem Doctorum Sorbonæ rarissimo, idem defendere anno adhuc 1652. aggreditur. *libr. 1. lect. 11.* Quod factum tamen ab ipso scio, haud sane ad mentem Illustrissimi Herois Digbæi, quam altoquunt in aliis scriptis exprimere sese ait. Ex ejus enim libris contrarium ostendi non difficulter potest; Et memini ipse præsentibus multis Gallorum in conventu eruditorum Parisiensi, in Collegio Harcurtiano ipsum Jus Naturæ & agnovisse & defendisse. Quin nec probe hic sensisse videretur etiam Helmontius, ut ex libello quem inscribit *Venatio scientiarum* liquet, qui in volumine, cui nomen fecit initia Physices ac Med. inaudita, typis descriptus extat: ibi enim de ratione ita loquitur, ut quicquid illa dicitur, aut quod ullo modo ad eam refertur, merum esse judicet figmentum, ac nescio, quam mentem ei adversam somniet. Johannes Feldenus quoque in anno-

tatis ad Grotium de jure Belli & Pacis, quamvis ipse dari Jus Naturæ non neget, visus tamen sibi est. Nota prima, ad Prolegomena, reperisse novum argumentum, quod iis objici possit, qui jus Naturæ defendunt, quod addere ideo omisi, quia connexionis nullam vim in eo quidem discursu ego reperio, consulere tamen potest eum, cui lubitum fuerit.

- 10 XVI. Cæterum ab errore non immunem esse quæ Naturæ Jus negat sententiam, non solum reliqui præter hos quos enumeravimus, & alios ignoti nominis non multos, persuasum habent homines; sed & argumentis iisque certis & evidentibus probari posse judicamus, Rem autem Deo auspice ita agg eduntur. Præsupponimus modo Deum esse, DEUM esse Omnipotentem, Prudentissimum, ac rerum humanarum habere curam, quæ Christiani quidem
- 11 omnes, ac etiam Mahamedani, ac paganorum longe maxima pars non negat: iis autem qui negant, facile solide ex ipsa ratione demonstrari possunt. Quod fecerunt post alios plures è Hispanis Raimondus Sebondus, ac Ludovicus Vives, è Gallis Philippus Moræus Plestaci Dominus, è Belgis Hugo Grotius in initio ingeniosissimorum, de veritate Religionis librorum. Atqui videatur imprimis in hac rem, erudita & solida demonstratio in *Theologia Compendio* Cornelii Martini, Philosophi maximi, quem librum utinam sine non mutasset auctoris mors, quæ quamvis fenem, tamen incredibili plane rei literariæ jactura eum rebus humanis exemit. confer & doctissimas dissertationes de *notitia Dei innata* Dni, Johan. Adami Oshandri Theolog. Academiæ nostræ celeberrimi. Ex hac DEI Omnipotentia ipsius Imperium in creaturas omnes, nulla excepta, haquet, ex Prudentia autem, & rerum ipsinarum cura, id Imperium non esse fortuitum, sed tale quod secundum ideam in mente divina formatam, rebus his inferioribus communicetur. Licet enim negantur Deum duci rerum humanarum cura Philosophorum aliqui, post alios tamen, contra Epicurum solide iterum ex principiis certis ejus veritatem ostendit Petrus Gassendus in *Syntagmate Philosophiæ Epicuri animadv. tertia. vid. imprimis p. 137. edit. quæ Haga Comi-*
- 12 *nis anno. 1659. prodit* §. Porro ut prætereamus. Atque hoc ipsum Im-
- 13 perium Dei, in creaturas, cum providentia conjunctum, est illud, quod æternæ legis nomine appellant Scholastici: Fit autem hæc com-

communicatio æternæ legis, inferioribus his, diverso modo. Reliquis enim præter hominem animantibus ac rebus inanimatis, ita ut necessario obtemperent, nec possint aliter quam obedire: hominibus vero, ut animalibus ratione utentibus, ac ideo voluntate & intellectu præditis, ut afficiat etiam utramque hanc partem, adeoque possint contra peccare, vel aliquid admittere. Hæc ergo lex æterna, communicata hominibus, nec ore, nec scripto, (quod plerisque non factum scimus) est ipsa lex Naturæ. Eamque qui negant vel asserere necesse habent, Deum non esse Omnipotentem, vel si sit Omnipotens, hominem non esse hominem, h. e. animal rationale, vel intellectum & voluntate præditum, vel desinere esse tale post leges à Deo acceptas, vel Imperium exerceri posse sine mandato, jussu, legibus, vel leges omnibus populis à Deo ore aut scripto datas: quæ omnia absurda, eorum autem opposita, demonstratu facilia sunt.

XVII. Sed & à posteriori ostendi potest, dari legem Naturæ. Homines omnes, qui mali quid egerunt, saltem aliquando in vita observant, se ideo terreri, atque esse aliquid intra se, (conscientiam vocant) quod ideo anxietate animum perfundat, & illum metu quodam affligat. Quamvis enim multi reperiantur (prout sunt diversi impietatis gradus) qui vix unquam domesticum hunc tormentum audiant, est tamen extra controversiam, illos sentire saltem aliquando vim ejus, licet non admittant, aut dictatis ipsius obtemperent. Atque qui id negant, illi cum id reipsa in seipsis experiantur, & verum esse sentiant, in speciem verbis negant. h. e. studio contradicendi aliis, sibi ipsis contradicunt. Et vero terrentur hoc modo, & metuunt sibi, non solum Christiani & Judæi, qui legem scriptam à Deo acceperunt, quæ mala hæc speciatim prohibet, vel aliz gentes, quorum licet falsa religio, hæc tamen delicta, scriptis aut promulgatis legibus vetat: aut quorum legibus civilibus illa in vetitis sunt: aut qui audire tenentur leges civiles; sed etiam gentes, quæ legem à Deo scriptam aut expressè traditam nullam habent, & nec habere se persuasi sunt, quorumque nec civilis Magistratus, nec Ecclesia illa disertè prohibuit: & inter illos, qui à pœna legum civilium sibi non timent, vel quod Principes sint, vel quod occultissime gesta res nullam metus causam eis præstare possit. conf. c. 3. tb. 23.

Non metuunt a. nec terrentur aliunde, quam quod pœnam expectant, non expectarent a. à justo iudice, qualem esse universi Dominum norunt, nisi contra legem ejus se egisse scirent. Non cognorunt autem legem ejus, ii de quibus imprimis loquimur, & quos ante descripsimus, homines pagani, vel ut scripto vel ore promulgatam, vel ullo alio possibili modo præterquam eo qui solus superest, ut ipsis insita sit naturalis legis hujus certa notitia. Licet enim fuerint etiam gentes, quæ multa juris naturæ præcepta susq; deq; habuerunt, tamen nec omnia abjecerunt, sed unum, aut duo, vel aliquot, v. g. de furtis, incestu, parum pensi habuerunt ac veri in his scintillas malo more opprefferunt, in reliquis à Naturæ Imperio non recesserunt: & si recessisse aliquos ab omnibus probetur, non ideo existimandum est, illis defuisse notitiam peccati ea in parte sui, sed ut solent à gentibus etiam, ut à singulis, impia interdum, reluctante quamvis, & contrarium suadente conscientia, patrari; ita & hic similis facti exemplum, idque luculentissimum fuerit. Atqui hoc illud argumentum est, quod ipse urget Apostolus, *Epist. ad Rom. 2. vers. 14. Cum gentes quæ legem non habent, Natura suapte faciunt ea, quæ legis sunt, isti legem non habentes sibi sunt lex: ut quæ offendunt ipsum opus legis mentibus suis inscriptum, simul testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam excusantibus.* Et vero argumentum hoc à conscientia egregie explicat Chrysolthomus *hom. 17. in Genesin, & in explic. Psal. 7.* ubi, *etsi milles,* ait, *quis improbus fuerit, non interit iudicium conscientia. Est enim Naturale, & à Deo ab initio instans, etiamsi quis ambitiose se milles jactet & gloriatur, instat illud vociferans, castigans, condemnans, & nemo est eorum, qui vitat in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat, & de malis consultans, & consilium exequens.* Consule & subtiliter ea de re differentem, ac ex conscientia legem Naturæ, & Judicem Supremum probantem Dn. Joh. Adamum Osiandrum *Disput. 5. de Notitia Dei contra Atheos, th. 40.* ubi propositionem, *qui naturale quoddam habet iudicium de bene vel male factis, illum habere etiam legis alicujus (Naturalis) cognitionem, quæ jubeat bonum, & vetet malum,* probat per reductionem terrorum conscientia, in aliquod principium excitans, quod deinceps, nec ipsius

ipſius hominis, ut ſponte elicientis, cum vitia ſua celare & exultare potius nitatur, nec à proximo, ſed à ſola hujusmodi lege, & ejus autore Deo, eſſe poſſe, luculenter oſtendit.

XVIII. Neque quod docet Apoſtoloſ id Ethnici ipſi quoque ſcriptores ignorarunt, quàm id ſeculo urgent, idque omnis ipſorum 17
 Historia loquitur. Tiberius Cæſar nihilminus quam de conſcientia ſolicitus ante, nec legis divinæ ſcriptæ gnarus, nec civilibus ſubditus, adde etiam tantus diſſimulator, cum omnia poſſet, hos cruciatus diſſimulare non potuit, cum tortore hoc domeſtico urgente, 18
 ex ſolitudine & ſecefſu medelam quæreret, neque inveniret tamen, ad Senatũ ita literas orditur, *Quid ſcribam vobis Patres Conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam, dii me dant, pejus perdant, quam perire me quotidie ſentio, ſi ſcio.* Et ſubjungit qui Epistolæ initium ſervavit Tacitus, *annal. 6. cap. ex diſtinctione Berneggeriana 7. num. 2. Adeo facinora atque ſtagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque, fruſtra præſtantiffimus ſapientia formare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe adſpici laniam & iclum, quando ut corpora verberibus, ita ſevitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuasque ipſe penas faceretur. Quem præſtantiffimum ſapientię hic appellat Tacitus, is non alius eſt, quam Plato, cui primas etiam Cicero paſſim defert, ex cujus lib. de Republic. 9. deſumpſit, quæ ibi de Tyrantio verè monet verba Latina ex Hugonis Grotii feliciffimi interpretis verſione in Notis ad librum I. de veritate Religionis Chriſtiane ad §. 24. hæc ſunt: Mendiculus revera eſt, ſed quis univerſum ipſius animum rectè norit inſpicere, plenus formidinis per omnem vitam, plenus mororis & cruciatuum.* confer. Suet. in vita Tiberii, num. 67. ubi hac Epistolæ pertaxum ſui ipſius, tantum non ſummam malorum ſuorum profeſſum eſſe aſſerit. Idem Tacitus de Nerone, quem, qui conſcientiam ante credidiſſe quam ſenſiſſe exiſtimat, fallitur, *Annal. 14. cap. 10.* cum antea narraſſet, imperatum à Nerone parricidiũ, ſubjungit, ſed à Cæſare perſeſto demum ſcelere magnitudo illius intellecta eſt, reliquo noctis modo per ſilentium deſixus, ſapiens pavore exurgens, & mentis inops, lucem opperiebatur, tanquam exitium allaturam. Rectè Ovidius lib. 1. Faſtorum. Conſcia

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra.

Pectora pro facto spemque merumque suo.

& Juvenalis Sat. 13.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi

Displicet auctori, & prima est hac ultio, quod se

Judicè nemo nocens absolvitur, improba quamvis

Gratia fallacis pratoris vicerit urnam.

Plures memorare in re clara supersedeo.

- 19 XIX. Neq; vero desunt & alia plura, quæ Jus Naturæ evincant. Sane hominem naturâ esse sociale animal, atq; inter ἀνθρώπων, non μονάδιχα numerandum pridem probatum Philosophorum dogma est. Ex Hebræorum Jctis & Philosophis sine controversia doctissimus Maimonides, in *More Nevochim. part. 2. cap. 40. in princ. Sufficiensissime*, ait, *demonstratum est hactenus, hominem naturâ esse animal politicum & civile.* Quod Aristoteles Græcorum Philosophorum, quorum opera supersunt, plurimum sententia, Princeps, prolixè etiam probat *lib. 1. Polit. cap. 2. & 3. Polit. cap. 6* in quem priorem locum consule, quæ more suo erudite observat Michael Piccartus *Commentario in libros Politicos Aristotelis, p. 44. & seqq.* Et sequuntur Aristotelem, ut solent, Græcorum ac Latinorum plurimi. Atqui
- 20 hinc, & à sola Natura esse societates, domesticam, herilem, & eam quoque quam vicum vocamus, ingeniose, imprimis de conjunctione maris & foeminae quæ ad generationem tendit, probat *dicit, loc. Aristoteles*, ex negatis reliquis appetitionum formis. Cum enim quatuor solum sint illæ, quorum una est, Naturæ communis rerum omnium non cognoscentium: altera propria animalium, & ex sensu derivata: tertia propria nobis hominibus, quæ ex consilio & electione descendit: & quarta, voluntas mentem sequens, cujus homini cum separatis substantiis, quibus quædam mens inest, communia est. Et vero, quia nec ex electione, quod non hominum saltem, sed etiam aliorum animalium plantarumque generatio est: nec ex voluntate, quod Angeli non generent: nec ex sensu, quod & plantæ generent, descendat hæc conjunctio, relinqui docet, ex sola Natura ejus repetendam originem. *d. cap. 2. libr. 1.* ubi & idem de
- 21 reliquis societatibus nonnullis probat. Sermo equidem distinctus, ac in

ac interioribus cogitationibus respondens, quem Natura, quæ nihil frustra concedit, homini dedit tamen, quid aliud loquitur, quam Naturam ipsius socialem, cum ejus non nisi ad alterum usus sit. Et satis, talem eum esse, arguit inde à prima nativitate ad vitam producendam, (cujus naturale cuique conservandæ desiderium) Societatis necessitas. Infantes enim adutorum ope, vel ad victum solum omnino indigemus, adulti ob vitæ humanæ necessitates, quibus vix possibile est unum aliquem solum mederi, (imprimis si ægri tudines ingruant,) iis non citra extremas difficultates caremus, quod utrumq; & vidit & urget Aristoteles: primum quidem *cap. 2. libr. 1. secundum lib. 3. cap. 6. Politicorum*. Scio quidem, post veteris ævi Scepticos, & alios nonnullos, id in dubium vocasse argumentis non nullius momenti Thomam Hobbeum in *Elementis Philosophicis de civitate cap. 1. n. 2.* ubi & solvere tentat, quæ ipsi objecerunt aliqui, in subjectis notis, & in Præfatione ad Lectorem in eundem librum, §. *videmus civitates omnes, &c.* Sed iusta profecto causa est, referendi hanc ejus sententiam inter periculosa, addo & falsa axiomata, qualia quædam Hobbei ex Statu Hominum Naturali fluere, & deduci verè observat, in elegantissima Dissertatione de Studii Politici ortu & progressu, hæc habita *Dn. Hefenthalerum lib. 46.* Atqui miror adeo, quid in mentem venerit Setho Wardo, Professore Oxoniensis Academiæ, dum Exercitationem Epistolicam, quam Thomæ Hobbei Philosophiæ anno 1656, opposuit, ac Oxoniensibus typis describi fecit, quod non accuratè in hoc dogma ejus censuram stringere saltem conatus sit. Sed nec dogma illud confutat alter Hobbei adversarius Franciscus Julius Chopius in *Philosophia Juris vera* qui id attingit tamen, & improbat etiam *lib. 3. cap. 7. in fine*. Coeterum quod Wardus & Chopius, qui se Adversarios Hobbei profitentur, non fecerunt, id præstitit satis feliciter, quamvis eo non nominato, ob familiaris amicitie vinculum, Petrus Gassendus Operè de Philosophia Epicuri, *tom. 3. in Ethicis*, & Dn. Samuel Puffendorph, in vicina Heidelbergensi Academia modo Professor, in *Elementis Jurisprudentiæ Universalis lib. 2. observat. 3.* ubi argumentis Hobbei solide, meo judicio respondet.

XX. Verum igitur manet, hominem naturâ esse sociale animal,

K

mal,

mal, & esse societates naturales nonnullas: minime gentium autem possibile est, esse vel subsistere per tempus aliquot societatem sine iustitia. Unde necesse est jus quoque aliquod esse Natura. Gaudeo v. ejusdem argumenti pondus agnovisse celeberrimum in Peripatho Philosophum, ac primum aut saltem præcipuum ejus in Europa restitutorem Alexandrum Aphrodisiensem ad libr. Aristotelis de anima, 2. c. 4. ubi postquam in eandem nobiscum sententiam Jus Naturæ probasset, subjungit qualia illius sint præcepta; *suntque ejusmodi pleraque (verba ipsius recito) quæ appellare solemus, ex ipsa affectu, leges non scriptas, quæ communes omnibus sunt, nisi sint excæcati: Revereri enim seniores, colere Deum, honorare atque observare parentes, & præstantiores viros, sunt jura quadam non scripta & communia, quæ naturaliter apud omnes homines retinentur. De his enim neque paciscuntur secum, neque leges sanciunt, sed retinent tanquam statutas & confirmatas ab ipsa natura.* Hactenus ille.

24 XXI. Accedit consensus gentium ac hominum singulorum, paucis illis quos supra commemoravimus, exceptis, qui communem hunc consensum suo diffidio impedire non magis idonei sunt, quam apud Geographos orbis rotunditatem dispersi per terram montes, quando cum reliqua ejus mole conferuntur. Est vero & hic ipse consensus hominum probando juri Naturæ satis idoneus. *Universalis enim effectus, universalem requirit causam, talis autem existimationis causa vix ulla videtur esse posse, præter sensum ipsam, communis qui dicitur: ut eleganter loquitur Grotius de jure Belli & Pacis, lib. 1. cap. 1. n. 12. Bene Aristoteles Nicomach, X. cap. 2. ὁ γὰρ πᾶσι δοκεῖ τὸτο εἶναι φαιδν. Quod omnibus ita videtur, id ita esse dicimus, & alibi idem, κατὰ τὸν πάντας ἀνδρώπων φαίνεσθαι, συνωμολογῶντας τοῖς ἐπιδησομένοις, potentissima probatio est: si in id quod dicimus, omnes consentiant, Hesioidi, Heracliti, Josephi, Senecæ, Quintiliani, Porphyrii ac Tertulliani in eandem rem sententias collegit d. l. Grotius, qui plane legendus est, vel solum propter insignem Andronici Rhodii locum, qui paucissimorum dissentium, hic iusque deque habendum esse docet, & evidenti ratione probat. Loca Autorum melioris notæ, qui jus Naturæ disertè agnoscunt, asserre præter rem fuerit, cum id tam multi fecerint, ut in immensum*

sum excrefcere differtationem neccffum fuerit, fi vel potiora af-
ferre animus fit. Et vero occupata pridem est ea opera ab aliis: con-
fulatur Dn. Eichel *de jure Naturali Parentum in liberos & horum* 25
in Parentes. thef. 2. Vinnius *ad Inftit. de Iur. Nat. Gent. & Civili. §.*
1. n. 3. Bachovius *ad primam Pandectarum partem. p. 22.* Hugo de
Roy *de eo quod iuftum est, lib. 1. tit. 3. pag. 33.* Chopius *in Philofo-*
phia juris vera, lib. 1. cap. 2. n. 16. Scokius *in Diatriba de jure Natu-*
ra, thef. 8. apud quos plurimorum magni nominis fcriptorum, qui
feculis diverfis ac locis vixere, contentientes pro jure Naturæ sen-
tentias, legere est.

XXII. Neque noftrum confenfum impedire debent, quæ in
adverfum, Carneades, Sextus Empiricus, Epicurus, Montanus & 26
alii difputant. Quod enim præcipuum est Carneadis argumentum.
Hominem effe animal, atque non minus inde quam reliqua animalia, 27
quæ brutorum nomine a nobis difcernimus, utilitatem fuam pro re-
gala habere folum, non etiam fui fimilium: Iuris autem totam vim,
ad alios referri, quod fieri non poffit, ubi propria fpectatur utilitas,
aliorum falute five commodo infuper habito: ei rectè refpondet Il- 28
luftris Grotius in Prolegom. in libros, de jure Belli & Pacis. Quod
dicitur, ait, non Carneadi tantum, fed & aliis,

Utilitas iufti prope mater & æqui,

fi accuratè loquamur, verum non est: nam Naturalis juris mater est
ipfa humana Natura, qua nos etiamfi re nulla indigeremus, ad socie-
tatem mutuam appetendam ferret. & deinceps, fed Naturali juri
utilitas accedit: voluit enim Natura autor, nos fingulos & infirmos
effe, & multarum rerum ad vitam rectè ducendam egentes: quo ma-
gis ad colendam focietatem rapremur. Paulo ante, cum recitaffet
Carneadis argumentum, fere ad eundem nobifcum modum, addit,
quibus id confutat, quæ fubjicimus, Verum ait, quod hic dicit Phi-
lofophus & fequitur Poeta

Nec natura potest iufto fecernere iniquum.

admitti omnino non debet, nam homo animans quidem est, fed exi-
mium animans, multoque longius diftans à cæteris omnibus, quam
cæterorum genera inter fe diftant: cui rei testimonium perhibent mul-
ta actiones humani generis propria. Inter hæc autem, qua homini funt
propria, est appetitus focietatis, id est, communicatis, non qualicum-

que, sed tranquilla, & pro sui intellectus modo ordinate, cum his que sunt sui generis: quam iniquorum Stoici appellant. Quod igitur dicitur Naturâ quodque animal ad suas tantum utilitates ferri, ita universe sumptum concedi non debet. Nam & ceterarum animantium quedam utilitatum suarum studium, partim fatuum suorum, partim aliorum sibi congenerum, respectu aliquatenus temperant. quod in illis quidem procedere credimus ex principio quodam intelligente extrinseco, quia circa actus alios istis neutiquam difficiliore par intelligentia in illis non apparet. Homini vero perfecta etatis, cum circa similia similiter agere norit, cum societatis appetitu eccellente cuius peculiare solus inter animantes instrumentum habet sermonem, esse etiam Facultatem sciendi agendique secundum generalia precepta, par est intelligi, cui qua conveniunt ea jam sunt non omnium quidem animantium, sed humana Natura congruentia, &c. Utilitas ergo constituto jam juri naturali accedit, & naturalis impetus, qui ad societatem agit hominem, eo illum agit, etiam si absq; utilitate esset. societates autem naturales, siue naturalibus legib. esse non posse jam ante monuimus. Quod si vel maxime verum fuerit, utilitatem primum esse, quod homo querat, vel sic concludere licet, esse quoddam Jus Naturæ. Non potest enim consequi quod utile est, nisi in societate hominum, & quidem illis societatis speciebus, quæ maxime Naturales sunt, Societas autem ubi leges desint, nulla est, nec esse potest. Vidit hoc Aristoteles 6. Ethicor. cap. 9. ubi fortassis ait, uniuscujusque bonum sine familiari & civili non est. In quem locum eleganter commentatur Eultratus Nicænus: Hoc modo ait, locus hic intelligendus est: vel quia homo Natura est sociabile & gregabile animal, spectasse Aristotelem ad hujusmodi hominis naturam credendum est: dixisseque prudentem per se solum non posse proprium bonum consequi, & virtutem exercere, nisi vel in civitate, vel in domo degat. vid. omnino Grotium dist. loc. & in notis. ac Johannem Eichelium tract. jam ante laudato lib. 3.

29

XXIII. In altero quod à mutabilitate omnis Juris, & diversa de eo, apud diversas gentes opinione, promunt, qui Jus Naturæ negant, cum ea, quæ Naturalia sunt, aliter se habeant ac omnibus talia esse videantur, nihil quoque est, quod Naturæ jus infringat. Quam est

est enim evidens fuisse qui manifestissima ac omnibus certissima in-
 ficias iyerint? Anaxogoras antiquis temporibus nivem atram, Te-
 lesius Philosophus patrum memoria ignem extremè humidum di-
 xit, Sunlungus, celebris apud Sinenses Sophista, seculo quarto, ante
 Nativitatem Salvatoris, in publico Philosophorum suæ gentis con-
 ventu, hominem tres habere aures, defendit, tradente Martino
 Historiæ Sinicæ lib. 5. pag. juxta primam Monachii curatam edit.
 170. & ægroto quandoque mel amarum videtur; neque tamen ho-
 rum deliræ opinioniones efficiunt, ut res hæc, natura sua tales esse in-
 cipiant. In eam sententiam elegans est Andronici Rhodii loquus Com-
 ment. in Aristotelis Ethic. ad Nicomachum lib. 5. cap. 7. Apud bo- 30
 mines, inquit, recta sanæque mente prædicta immutabile est jus illud
 Naturæ, quod dicitur, Quod si hic, qui morbidò distortoque sensu a-
 nimo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur,
 qui mel dulce esse dicit, ideo quod ægroto aliter videatur. Michael
 Ephesius, & ipse Græcus Commentator ad eundem locum Aristot-
 telis. Non est ait, absolute verum id quod nonnulli dicunt, jus omne
 mutari, sed quodammodo, jus immobile est atque immutabile, apud
 enim eos, qui in Natura torminis persistant, neque perverti sunt ac
 depravati, immobile jus Naturale servatur: apud eos vero, qui pra-
 ve & præter Naturam affecti sunt, mutabile esse reperitur. Ipse Ari-
 stoteles ad eundem modum cap. 34. lib. Magn. Moralium ex inter-
 pretatione Georgii Vallæ. Justorum quedam Natura, quedam lege
 sunt. Verum arbitrari ita oportet, ne putemus nunquam excidere,
 quæ natura sunt, quæ sane etiam mutationem subeunt: Ut inquam,
 si jaculari omnes semper sinistra annitantur, tandem sinistra manu
 ac dextra utimur. Atqui à natura sinistra est: ac dextra ni-
 hilominus natura potiora sunt sinisteris, tametsi cuncta sinistra sicut
 & dextra facimus Neque quod mutari hæc queant, & ob hoc à Na-
 tura non sunt: verum si ut plurimum, diutiusque ita permancant, &
 sinistra est sinistra, & dextra dextra, id quod à Natura est, idem in
 à Natura justis, si nostro usu immutentur, non ob hoc à Natura ju-
 sta non futrint, imò equidem fuerint. Nam quod ut plurimum per-
 durat, id propalam justum à Natura est. & ad Nicomachum in E-
 thicis. lib. 5. cap. 7. ex Matthiæ Bergii versione, qualem illam nuper
 edidit

edidit Saanael Rachelius Dithmarfus. Existimant autem nonnulli jura
 inania esse legitima: quoniam id quod constat natura immobile
 atque immutabile est, & ubique eandem vim habet, quemadmodum
 ignis & hic, & apud Persas urit: jura autem quotidie vident immu-
 tari. Sed hoc non est ita, cum sit tamen aliqua ex parte, *Quamquam*
apud Deos fortasse nequaquam ita habens: sed utut hoc habet apud
nos certe est aliquid, quatenus Naturale, tamen mutabile: etsi non
omne, veruntamen hoc non obstante, jus aliud Natura valet, aliud
non natura, &c. Quem locum tamen ambiguum nonnihil magis
 obscurum reddiderunt commentatorum non convenientes senten-
 tiae, e quibus Averroes Arabs insigniter profecto nugatur, & ne-
 3^o scio quae inepta quae in mentem nunquam venerunt Aristoteli, fin-
 git, E. Lamius D. Thomas, ad locum hunc, & qui hunc sequitur Tar-
 quinus Gallutius Sabinus, nec ipsi quidem Philosophi mentem affe-
 cti videntur, imprimis quid sibi vellent verba illa: *apud Deos forte*
alter. Magis nobis probatur Graecorum explicatio, quorum verba
 antea retulimus quaedam, quibus addimus, quae sequuntur in Mi-
 chaele Ephesio ad explicanda Aristotelis verba, & agnoscendum re-
 sponsonis Philosophi pondus. *At vero* (pergit Ephesius) *cum in-*
quit, quamquam apud Deos fortasse nullo modo est, spectare ad Pla-
tonis opinionem, videtur qui inter Deos quoque esse existimabat, atq;
tate ipsum eam, quae per se justitia dicitur, quam ἀνοδικαιοσύνην ap-
pellat. Si igitur est, inquit apud Deos jus hoc, quod ἀνοδικαίων, i. e.
per se jus dicunt, nunquam id sane mutatur, neq; aliis diis est, aliis
non: propterea quod omnes eodem modo sese habent, similesq; sunt, neq;
depravatione ulla pervertuntur. Idem hominibus eveniret: si enim
omnes Naturam suam minime depravatam conservarent, secundum-
que eam viverent, nemini dubium est, quin apud omnes jus Natu-
rale perpetuum atque immutabile inveniretur.

SECT. III.

Democriti doctrina de Jure Natura à Petro Borello expli-
 canda. 1. Epicurea à Gassendo explicata. 2. Utriusq; com-
 muniter creditus consensus. 3. Zenonis laus in Morali do-
 ctrina & cum Christiana doctrina in multis consensus. 4. Jus
 Natura

Natura agnovisse Zenonem, ex Cicerone, Seneca, & antiquo Horatii Interprete. 5. Stoicorum de fato sententia tamen juri Naturæ adversa. 6. ea explicata ex Gellio, Chryssippo, Seneca. 7. quare cum jure Naturæ consistere non possit, ex Justino Philosopho, Simplicio, &c. 8. Autores qui ex Ebrais, Pythagoreis, Platoniciis, Aristoteliciis, aliis, & recentioribus, id confutarunt. 9. Platonis de lege in genere & ejus speciebus sententia, ex Ficino. 10. Alberti Bologneti error circa legem Naturalem Platonis. 11. Lex divina Platonis eadem cum aeterna. 12. Lex cælestis ejusdem confutata. 13. Lex naturalis ejus pars legis aeternæ. 14. Lex humana apud ipsum, lex est Naturæ. 15. Aristoteles quid de jure Naturæ senserit. 16. ejus sententia, jus Naturæ etiam extra societatem esse, defensa contra recentiores aliquos. 17. Digressio ad proximum caput. 18.

XXIV. **S**uperfuit ex Græciæ Philosophorum præcipuis sectis, qui Democritum, Epicurum, Zenonem, Platonem ac Aristotelem sequuntur. Ex iis DEMOCRITI de jure Naturæ doctrinam, accurate expensam expectamus, à Petro Borellò, Neque vero dubitamus, posse illum eo in genere aliquid exhibere, quo satisfiat eruditus, cum tot ex Bibliotheca regis & aliis Galliæ, MSSis fragmentis, quæ ipsius Democriti esse perhibentur, & cum aliis rarioribus ex Græciâ magnis sumptibus Lutetiam delata sunt, instructus, feliciter id negotium, quam nos accurare queat. Epicuri de Jure Naturæ sententiam, non negligenter explicatam reperire est, apud Gassendum, vid. Syntagma Philosophiæ Epicuri, part. 3. cap. 25. quæ nobis quoque causa est, quare non ultra huic sententiæ inquirendæ immorandum existimemus occupata jam à Gassendò opera. Quod si verum sit, quod doctis viris non paucis persuasum est, Epicurum sua à Democrito mutuatum, non difficile erit vel hinc Democriti mentem colligere. De ZENONIS autem ac ejus sectatoribus Stoicis omnia videndum nobis, quid iis de Naturæ jure sententiæ sit. Sane de iis Justinus, *Apologetico priore*, dixit, *fuisse in morali parte egregios*. Et Hieronymi alibi, de iisdem verba sunt.

Stoici

Stoici nostro dogmati in plerisque concordant, quæ habes c. 10 Commentarii illius in Esaiam. Nec tantum concordant, inquit Lipsius, Adanudet. ad Stoicam Philosophiam dissert. 17. sed etiam occulte ad nostrum dogma, & ad pietatem manuducunt. Ubi tamen excipienda est, quæ pietatem lædit, eorum de Fato opinio. Atque de Morali ita doctrina imprimis accipienda esse videntur hæc illorum dicta, quemadmodum & Josephi illa in vita sua, ubi memorat ad Pharisæorum sectam proxime accessisse illorum dogma, simili fere modo interpretatur Seldenus. de I. N. & G. cap. 2. p. 31.

XXV. Costerum & Zeno hic & discipuli ejus, Jus Naturæ in scriptis suis, & agnoverunt, & acriter pro eo decertarunt. Cato Stoicus apud Ciceronem 3. de finibus, Omnia, ait, officia à principis Natura proficiuntur, ac sunt alia ibi, ex quibus apparet honestum, bonum, laudabile, virtutem, saltem maximam partem illum in Natura & Jure Naturæ constituere. Seneca, ex eadem disciplina Epistola 48. ad Lucilium juris communis generis humani, meminit, quem locum Gruterus in notis male de jure gentium interpretatur, siquidem illo vocabulo strictè uti velit. Antiquus Horatii interpretæ, Acronem aliqui dicunt putant, ad illud ejusdem Poetæ:

Vtilitas justæ prope mater & æqui.

6 repugnat, ait, præceptis Stoicorum, ostendere vult justitiam non esse Naturalem, sed natam ex utilitate. Quamvis autem hæc illi ita scripserint, non video tamen ego, quomodo cum iis conveniant, quæ de Fato tradebant iidem. Extat ea de re eorum sententia apud 7 Gellium, libr. 10. Noctium Atticarum cap. 1. prolixè ex ipsis Chrysippi libellis *Ἐπιχειρήματα* explicata, ut & apud Plutarchum de Stoicis sibi met contradicentibus. Seneca, quo nemo inter Latinos huic disciplinæ additior Naturalium quest. lib. 2. c. 35. ad eorum sententiam, fata nulla commoveri prece, non misericordia flecti, non gratia, scribit, servant, ait, cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt, & deinceps, ordinem rerum, fati aterna series rotat, cujus hæc prima lex est, stare decreta. cap. 36. quærit, quid intolligis fatum? Existimo, respondet, necessitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat. Hanc si sacrificiis & capite nivea agne exorari judicas, divina non nosti, Longius etiam, sed parum profecto ex re & verò,

vim

viam fatalis hujus necessitatis provehit, libro. *Quare bonis viris mala accidunt cum sit providentia, cap. 5.* ibi enim eadem illa necessitate, & Deum alligat, ac addit, irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit: ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Hæc inquam asserta cum jure Naturæ ego conciliare nequeo. Nam si nulla reliqua penes hominem fuerit agendi libertas; sed is agit necessario, nulla ipsi lex nisi improprie dari poterit, & vel sic dirigeretur ille non alia quam illa, quæ æternis scholasticis appellatur. Vidit id Justinus Philosophus adducto jam ante Apologetico priore; ostendunt, ait, Deum ipsum tum in partibus, tum in toto in summis malis positum: & nihil esse virtutem, nihil vitium, quod longe abit ab omni cogitatione sobria & recta, ratione & bona mente. Et Simplicius ad Epictetum apud Hugonem Grotium in libello posthumo, quo collegit Philosophorum sententias de Fato. pag. 292. Tum vero, qui tollunt id, quod in nostra est potestate, & velle & nolle, & optionem & dilectum, & acclinationem & declinationem, ac appetitus mutationem, & similia, hi & eam, quæ in animo est differentiam virtutis & vitii tollunt, neque justas laudes relinquunt aut vituperationes.

XXVI. Sed non est fortassis, quod metuat sibi jus Naturæ, à Fato hoc Stoico, quando id confutarunt satis superque, præter Theologos nostros. Ex Ebræis quidem Maimonides in more Nevóchim part. 3. cap. 17. & 18. quo priori etiam, de communi consensu suæ gentis Doctorum, testatur. E Pythagoricis Hierocles de Deorum usu, in Commentario ad illud aurei carminis:

Quos hominum generi fors dat divina labores.

Et Compendio de Providentia, Fato & eo quod est nostra potestatis. Plato quoque in *Timæo*. Ex iis, qui Platonem sequuntur, Maximus Tyrius, exquisitissima dissertatione, an data divinatione aliquid sit in nostra potestate. Plotinus lib. 1. *Ennead.* Alcinoüs de Platonicis dogmatibus. Apuleius de dogmate Platonis. Ex peripatheticis Græcis & melioribus, Alexander Aphrodisiensis libro ad Severum & Antoninū Imperatores de Fato, quem ex collectione cum Eusebio & MSst. correctissimum dedit Grotius pag. 158. *Collect. de Fato.* Ammonius Herma in expositione libri Aristotelis de Interpretatione. Bardesanes Sy-

rus apud Eusebium, in *præparatione Evangelica lib. 6. cap. 8.* Quia ipse ille, qui Philosophiæ Stoicæ Restaurationem in se suscepit Justus Lipsius, cum alibi passim, tum in *Manuductione ad Stoicam Philosophiam*, cum frustra excusare aliqua ratione id tentasset. *cap. 18. lib. 1. de constantia*, tam verecundi oris fuit, ejusd. libri *c. 20.* ut id diserte gravibus verbis improbarit ac suum fatum, quod ipse ibi substituit, ab illo Stoicorum distinxerit. *Non*, verba sunt Langii, quem Lipsii doctorem ibi introducit de fato loquentem Lipsius, *ego vel per somnium Fatum nullum Stoicorum induco: nec anus illas recoquo, diu extinctas: modestum piusque fatum profero, quod ab illo violento quatuor finibus abjungo.* vid: ibidem plura. Ac non indocte nuper Fati hujus errores ex Thoma, Scoto, Bonaventura & aliis, in indagatione *sententia Stoicorum de fine mundi, cap. 3.* quæ extat inter *disputationes posthumas illius, de fine mundi*, ante triennium Bononiæ editas, ostendit Alphonsus Pandolphus Episcopus Comaclacensis.

XXVII. Pervenimus ad Platonem & Platonicos. Et PLATONIS quidem ipsius, de lege, sententiam, non inconcinne argumento in Minoem, ex Timæo, Phædro, & Gorgia ejusdem, explicavit Marsilius Ficinus, fidelissimus haud dubie Platonis Interpres, qui postquam legem ibi, ex mente Philosophi sui definisset, addit: *sequitur hinc, ut lex æterna sit, ac penitus immutabilis, & apud omnes gentes eadem de iisdem, si modo vera sit: nam qua temporibus, locisque & opinionibus permutatatur, non lex, sed institutio nuncupatur. Legis autem species ut ex Timæo, Phædroque, & Gorgia colligitur, quatuor sunt, Prima divina, quam providentiam Plato vocat. Secunda cælestis, quam Fatum. Tertia movens quam naturam. Quarta humana, quam prudentiam Naturalem. Prima in mente divina quam Saturni legem Orpheus, & Plato esse volunt. Secunda in superiori anima parte quam Jovis. Tertia in movente inferiorique illius potentia quam prima Veneris, Postrema in hominis mente, quam secunda Veneris legem vocant, &c.* Post Ficinum attigerunt Platonis hanc sententiam Albertus Bolognetus *de lege, jure & æquitate, cap. 3.* quem nollem dissimulasse accepta hæc ferenda esse Ficini industria. Alexand. Turranius *ad rubric. de legibus, libr. 1. p. 7.* ubi sua se debere Marsilio

Ficino

Ficino ingenue fatetur. Et Bolognetus quidem, Naturalem legem esse existimat illam tertio loco relatam: In qua ego tamen nihil nisi nomen Naturæ & legis naturæ, rem verò ipsam minime reperio, quin potius, imo certo, eam sub nomine *legis humane* complectitur Plato. Atque hoc velle Ficinum satis inde liquet, quod eam solam, ex quatuor his legibus, *in hominis mente*, à Platone collocatam, & *in notionibus circa rationes super actus consistere*, docet, cum tertiam, ita dictam Naturalem, *in movente, inferiorique ejus potentia, & in seminibus circa rationes supra formas*, ut ex ipsis quæ adduximus verbis, patet, versari existimet.

XXVIII. Ex his quatuor legibus, Prima illa, quæ Platoni DIVINA est, agnosci potest. Plane enim idem est, cum illâ, quam æternam vocant, cum Theologi, tum Jurisconsulti, tum Philosophi. *Gubernandarum enim rerum omnium ratio, sive norma, qua non minus, quam creandarum ratio, ab æterno in mente divina fuit, est lex æterna*, post alios, Georgius Calixtus *Epitome Theol. Moralis. pag. 46.* Balthasar Meisnerus *de legibus, lib. 2. quest. 1.* & ibi Augustinus, Thomas, Zanchius, Frantzkius *Comment. ad Pandectas ad tit. de Inst. & Jur. num. 105.* Hancque Pythagoreos agnovisse, ex Hierocle, non longe à principio capitis hujus ostendimus. Sed & aliis Philosophis prudentissimis notam hanc legem fuisse, Cicero nos doceat 2. de legibus. *Hanc igitur video, sapientissimorum fuisse sententiam, legem neq; hominum ingenii excogitatam, neque scitum aliquod esse popolorum, sed æternum quoddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientiâ.* Idquæ etiam vult Boetius de consolatione Philosophi, lib. 3. met. 9. in verbis:

*O qui perpetua mundum ratione gubernas.
& libr. 1. met. 5. in illis:*

Legemque pati sidera cogis.

quia tamen irrationalium omnium nulla propriè & sub peccato obligatio est, lex hæc æterna, relatione facta ad irrationalia, strictam propriamque rationem legis non obtinet, adeoque eo sensu nonnihil impropriè lex dicitur.

XXIX. Altera COELESTIS, quam & fatum ex Platone Ficinus d. l. appellat, quamq; non in sola mente divina, sed in superiore anima mundi

mundi parte, secundum Ficinum, ac etiam in sphaerarum siderumq; inclinatione, juxta Bolognetum, positam volunt, merito nobis repudiatur. Quamvis enim, mundo universali, animam & rationem inesse, non minus quam homini, crediderint, cum aliis Philosophis etiam Plato & Platonici, unde Ciceronis illa 2. de finib. verba. *Quid est verum, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem; ut in se rationem & mentem patet inesse, in caelo mundoque non putet, aut ea, quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet; & animam caelo etiam Aristoteles attribuat.* 2. de caelo, tit. 13. hæc tamen sententia ab eruditis hodie merito exploditur. Et si quis legem hanc defensam velit, quod non alia ratione priorem Divinam legem deferri ad homines posse existimavit Plato, quam mediante lege caelesti, ex mente Aegyptiorum, (de qua vide passim Kircherum in *Oedipo Aegyptiaco*.) qui superiora non immediate ad inferiora hæc pertingere dicebant, sed interventiente aliquo, quod de utriusque natura participaret, quale quid videri possit lex caelestis, respectu legis divinae, & legis naturalis homini datae. nec is quidem rem confectam dabit: sive enim ideis hoc munus concedamus, pridem illæ ab Aristotele & Aristotelicis refutatae sunt, sive intelligentiis & angelis, quorum ministerio lex illa caelestis vel facti exequenda sit, non nova fuerit illa lex, sed divina illa expedita saltem illorum ministerio, sive cum Bologneto in sphaerarum & siderum inclinatione illam ponere velint aliqui, pridem ostensum est, nullum illis inesse fatalem legem, cum ab aliis pluribus, cum à Pico Mirandulano, ac nuper adeo à Pandulpho Episcopo Comaclacensi in *disp. de fine mundi*. aliquot capitibus à p. 207. usque ad 292. Atqui hinc factum videtur, quod ipse Cicero, tantus alioquin Platonis admirator, legem hanc caelestem quam negare ob autoritatem Platonis noluit, cum lege divina ejusdem (à qua tamen sollicitè distinguunt Platonici cæteri) confundat *lib. 2. de legibus*.

XXX. Tertia, LEX NATURALIS Platoni aliquibus elementaris dicta, quamq; Bolognetus describit *d. cap. n. 6. Quod sit vis quadam, rerum seminibus innata, qua singula ad proprios actus, propriasque fines protendant, & inclinant*: non videtur esse nisi pars quaedam æternæ legis, quam Plato divinam vocat, fatente tandem ipso Bologneto

neto d. l. *lex hac naturalis*, inquit, non prorsus dici potest, essentiam ab aeterna lege diversam & separatam habere; imo enim pars ipsa est, ab illa sola pendet ac promanat, ab illa deniq; vim & robur suum omne assumit. Quæ quarta superest HUMANA, eâ naturalem & gentium legem complexus est Plato, quod ex Marfilii Ficini descriptione patet. Qui eam quoque ex lege æterna repetit ac deducit, hominiq; propriam facit. Difficilem tamen ejus inquisitionem fateri videtur in Phædro, ubi Socrates ad Phædrum, ex versione Marfilii Ficini, quando quis ferri vel argenti nomen pronunciat, idem omnes protinus intelligimus. P.H. Prorsus. SO. Quid curus justî vel boni nomen? nonne alius alio fertur? atque cum aliis, & nobiscum isti ambigimus, P.H. Magnopere. Cumque in his rebus, in quibus ambigimus, rhetorica plurimum valeat, ideo & facile nos falli posse, circa ea existimat d. l. Præter hæc nihil singulare quod ad Jus Naturæ in genere pertineat, ex Platone ipso, Marfilio Ficino, Plotino, Sebastianiano Foxio Morzillo, Alcimoo de doctrina Platonis, Apuleio de dogmate Platonis, Speusyppo de definitionibus Platonis, ac Proclo etiam hæcenus invenire potuimus, si quid tamen fortassis ex Chalcidio, Porphirio, Cardinali Bessarione, ejusq; libris adversus calumniatores Platonis, aut Jacobi Mazzonii libris de comparatione Platonis & Aristotelis, quorû non nisi fragmenta in præsens nobis præsto fuere, illustrandæ Philosophi hujus sententiæ accedere possit, ubi eorum copiam nacti fuerimus, in tractatus appendice monëbimus.

XXXI. Superest ut de ARISTOTELE differamus. Is Juris Naturæ sæpe mentionem facit, & produximus ex eo antea quzdam, sub finem sectionis 2. Capitis hujus: videri possunt 5. *Ethic. cap. 10. & 12. Eudem. lib. 4. cap. 5.* præ reliquis autem eminent locus 1. *Rbetor. c. 13.* quem hic adscribemus, desumptum ex versione, qualem ultimæ editioni adjunxit Dn. Schraderus, *Est enim quoddam, quod augurantur omnes, Natura commune justum, & injustum, etiamsi nulla societas invicem sit, nullaque pactio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere, justum esse interdictum sepelire Polynicem, quasi natura id sit justum. Non etenim id nunc, & heri, sed semper fuit. & nemo scit, unde ejus orsus sit. & ut Empedocles dicit, de non interficiendo, quod animatum est: non quibusdam justum est, quibus-*

*domo vero non justum est, sed hoc quidem omnium legitimum, perque latum aethera, omnibus in partibus extensum est, perque ingen-
tam splendorem.*

XXXII. Ex quo loco patet, esse Jus Naturæ quoddam, ex mente etiam Aristotelis, etiamsi nulla fuisset societas hominum ad invicem, secus ac opinati sunt nostra ætate viri eruditi aliqui. Id sanè scripsit vir celebris è Gallis in Syntagmate Philosophiæ Epicuri *part. 3. cap. 24. §. 1. & cap. 25. §. 4.* ibi. *quod circa ut proprie loquamur, jus sive justum naturale nihil aliud est, quam tessera utilitatis; seu ea, conspirantibus votis proposita utilitas ut homines ad invicem, neque ledant, neque ledantur.* & ab aliis viris Clarissimis, alio potius loco nominandis à nobis, quam hic, ubi ab illis dissentire veritatis vi cogimur, Jus Naturale omne ad societatem refertur. Neque valde alieni videntur interdum esse ab hac sententia, Cicero, Florentinus Jctus, & Senecæ, adductis à Grotio *locis lib. 1. de I. B. & P. cap. 1. & 3. & ibi in notis.* Est vero Aristotelis illa longe verior, si enim nullum sit Naturæ jus nisi in respectu ad societatem humanam, quid fiet de eo tempore, quo Adamus solus, ante productos alios homines, vixit? sane nullis Naturæ legibus obstrictum fuisse, secundum hanc sententiam dicendum fuerit, atque adeo integrum illi per hanc opinionem relinquitur, illo quidem tempore, colere Deum, vel non colere, patrare fœda alia, vel non patrare, quod absurdum esse nemo non facile videt. sed & eadem ratio fuerit hominis remoti à societate humana, quales esse possunt Eremitæ, deportati in insulas inhabitabiles. &c. & illi enim hoc dogmate, Jure Naturæ solvuntur. Atqui certum tamen est, illos & ad colendum Deum teneri, & ad vitanda quæ dedecent humanam Naturam. Non ergo à sola societate humana vis legum Naturæ dependet, neque eo solum refertur, sed vel Deum respicit, vel proximum & societatem, vel seipsum, & Naturam humanam, quod erudite observat Alexander Turaminius *ad rubric. de legibus lib. 1. c. 4. n. 12.* Quos priores duos respectus agnoscunt etiam Ebræi apud Seldenum *de J. N. & G. libr. 1. cap. 10.* atque addunt etiam respectum erga animalia, quo trahunt septimum præceptum Noachidarum. Et vero triplicis hujus respectus

Quis etiam mentio est apud Ambrosium in *Epist. ad Rom. cap. 5. Lex Naturalis* (verba ejus sunt) *tres habet partes, cujus Prima hæc est, ut agnitus honoretur creator, nec ejus claritas & majestas alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est moralis, h. e. ut bene vivatur, modestia gubernante. Congruit enim homini habenti notitiã creatoris, vitam suam lege frænare, ne frustretur agnitio. Tertia vero pars est docibilis, ut notitia creatoris Dei & exemplum morũ cæteris tradatur, ut discant quemadmodum apud Creatorem meritum collocatur.* Reliquas Aristotelis, convenientes cum aliorum mente sententias, imprimis illam de mutabilitate & immutabilitate, sequentibus capitibus accuratius enodandam servamus, progressurũ quinto Capite, Deo dante, ad Latinorum & nostri seculi hominum cruditorum recentiores de Jure hoc sententias. 18

Ne vacaret, quod reliquum est charta, subjicimus, quæ sequuntur,

C O R O L L A R I A.

I.

FEudorum originem, Plurimi Longobardis adscribunt: Hugo Grotius, ac viri celebres alii, non illis solum, sed & aliis Germaniæ populis. Cæterum neutra sententia videtur firmo talo consistere. Non Prima, quia & antiquior, in aliorum populorum Germaniæ historia, feudorum est mentio: & plerumque quando Longobardis feuda tribuuntur, non solum illis, sed & aliis, Frisiis, Burgundis, Francis, ea conceduntur. Non altera, quia quando de origine rei questio est, prima ejus investigantur, initia; Ut feuda autem uno eodemque momento, nullo intercedente temporis intervallo apud diversas gentes cœperint, fidem omnem superat. Quod si omnino definiendum fuerit, qui primi credi queant feudorum autores, non improhaverim sententiam Molinzi, qui Francis laudem hanc tribuit, idque sibi compertum esse, ex antiquissimis investituris, ubi disertè ipsis tribuatur feudorum inventio, scribit. Sanè apud historicos, qui extant, nullam antiquiorem esse feudorum mentionem, quam in Francorum historia, facile ostendi potest.

potest. Qua de re, Deo dante, uberius peculiari Diatriba mentem nostram aliquando explicabimus.

I I.

Prorogationem jurisdictionis, moribus nostris adhuc obtinere, defendit nuperrimè Dn. Manzius: Non obtinere, tuentur plures, iique Celebres Jcti, eo argumento, quod jurisdictiones hodie factæ sint patrimoniales. Nobis prorogationem jurisdictionis, hodieque fieri posse videtur: sed modum prorogandi diversum esse, ab eo, qui apud Romanos, & seculo Justiniani obtinuit: Illorum enim moribus sufficiebat consensus solius litigantis, nostris moribus præter hunc requiritur etiam consensus superioris, vel domini ipsius, qui jurisdictionem habet patrimonialem, atque hujusmodi prorogationem ratam esse in Germania nostra, plus simplici vice, judicavit Augustissimum, quod est Spiræ, Imperialis Cameræ tribunal.

I I I.

Per ultimum Recessum Imperii, non potest ab inferioribus judicibus ad cameram appellari, nisi in casibus exceptis, quorum ibi mentio est, si sortis summa non attingat quadringentos thaleros, ut vocant, Imperiales. Quod si verba Recessus sequamur, non videtur computari posse in summam hanc interesse; aliam tamen mentem esse paragraphi illius, ac nonnullis casibus, eum pati etiam additionem hanc, liquet ex recentioribus Cameræ præjudiciis, & notis nuper ad Rodingii Pandectas Camerales editis.

I V.

Neque definitio juris Naturæ Thomæ Hobbei, neque modus ipsius indagandi jus naturæ, album calculum meretur, quicquid etiam in adversum disputet doctissimus autor apologiæ pro sententia illius, qui vel hanc legitimam esse indagandi juris rationem, vel nullam aliam reperiri posse, nimis profecto audacter profutetur.

Österreichische Nationalbibliothek



+Z1804

Österreichische Nationalbibliothek



+Z1804

